


JUS APANAGIALE

SIVE

DISQUISITIO DE STATU PRINCIPUM AC COMITUM IN GERMANIA APANAGIATORUM IMMEDIATO,

HUJUSQUE,

ORIGINE, NATURA, EFFECTU

AUCTORE

JOAN. AUGUST. NOB. DOM. A BERGER.

ACCESSIT DISCUSSIO II. QUÆSTIONUM AFFINIUM:

I. AN VIDUA ILLUSTRIS IN DOTALITIO DOMINO TERRITORII SIT SUBJECTA?

II. AN PRINCEPS APANAGIATUS JURIS SENIORATUS SIT CAPAX?


LIPSIÆ,

Sumptibus HÆRED. FRIDERICI LANCKISII.

A. O. R. MDCCXXV.

CAN. SCIENDUM EST I. DIST. XXIX.

IN ERRORIS LABYRINTHUM NONNULLI INTRICANDO IMPINGUNTUR, CUM ANTE JUDICANT QUAM INTELLIGANT, ANTE INCULPANT, QUAM ITERANDO LECTA PERQUIRANT.



LECTORI BENEVOLO
S. P. D.
Auctor.



Um in concinnando præsenti, quod tibi decenter offero, levidensi opusculo, L. B. facile animadverterem, omnino varios, qui materiam hanc Juris Publici illustrem, utpote a nemine (*) adhuc, quod novi, ex instituto, peculiari quodam Tractatu, expositam atque pervestigatam, minus sollicite examinarunt, sinistrum forsan de hac qualicunque Commentatione laturos esse judicium: non ab re esse videbatur, eidem aliquam præfigere præfationem, ex qua saltem instituti ratio atque mens mea facili negotio intelligi posset. Itaque principio L. B. facile perspicit, scopum nobis propositum neutiquam fuisse, de Apanagiis in genere disserere. Hunc enim in nos suscipere laborem necessarium haud duximus, nec operæ pretium videbatur, cum jam pridem alii, atque longe doctissimi viri in describendis atque iisdem explicandis studium suum operamque collocaverint. Inter illos vero præcipuus merito habetur GEORGIUS HEINRICUS SPRINGSFEL-

(*) Equidem JO. PETR. DE LUDEWIG in *Germ. Princip. Cap II. in Prolegom. p. 96.* præter alia, quæ molitur, opera, opusculum quoque *de dignitate, & præcedentia jure apanagiatorum* cum orbe erudito brevi tempore communicare promisit: ast paria cum reliquis fata adhuc expertum est.

DIUS, cujus Tractatum, omnino egregium, *de Apanagiis* habemus. Nimirum in eo laudari meretur, quod doctrinam *de Apanagio* sollicite atque paulo accuratius enucleaverit, eamque dignam censuerit, de qua ex instituto ageret. Laude quoque dignus est, quod Apanagium cum Paragio non plane confuderit, sed, ubi de affinibus Apanagii in capite ultimo Tractatus sui agit, convenientiam quoq; & differentiam Paragii & Apanagii ostendere voluerit. Nec culpandus etiam, quod non tanto cum studio de paragio exposuerit, quantum ad doctrinam *de Apanagio* rite explicandam adhibuisse, patet. In libera quippe cujuslibet voluntate positum esse videtur, vel vastum, vel angustum meditationibus suis campum præscribere. Et, cum Auctor methodo Ramistica hic uti voluerit, adeoque *de Paragio*, inter affinia Apanagii, commentari, absonum utique incongruumque videbatur, si de rebus affinibus tam prolixe differere voluisset, quam de objecto Tractatus principali. Denique nec in eo laude sua erit defraudandus, eum in omnibus BETSII doctrinam cœca fide minus fuisse sequutum, sed passim libertate ab ipso dissentiendi, adeoque suo judicio in quibusdam prudenter usum fuisse. At enimvero, cum BETSIUM tamen in rebus principalibus minime correxerit, immo ne quidem defectus illius notare ausus fuerit, dolendum sane est, quod ea, quæ BETSIUS bene distinxerat, iterum miscere atque confundere magno quidem cum studio ac cura voluerit. Scilicet BETSIUS operam dederat, ut mores Romanos, Italicos, Hispanicos, Gallicos, Germanicos, a se invicem discerneret. Contra SPRINGSFELDIUS *de Apanagio* Germanico scripturus, fundamenti loco promiscue posuit Scriptores Italos, Hispanos, Germanos, maxime Gallos, qui fere ubique utramque faciunt paginam. Crescentibus quippe indies bonis litteris in Germania, non amplius arriserunt JCtis Germanicis JCti exteri, Itali, Hispani, Galli. Hinc laudabili

sane

ſane inſtituto commotus NICOLAUS BETSIUS, JCtus, ac MAURITII, Celſiſſimi Potentiſſimique Haſſiæ Landgravii Conſiliarius, in erudito ſuo Tractatu *de Statutis, Pactis & Conſuetudinibus Familiarum Illuſtrium & Nobilium*, doctrinam de jure Primogenituræ ad uſum Germaniæ potiſſimum applicare primus anniſus eſt. Summo quoque cum applauſu ſupremam operi impoſuit manum, ita, ut in controverſiis de jure Primogenituræ Doctores ad hunc Tractatum, ſi non unice, ſatis tamen frequenter convolare, provocareque adhuc conſueverint. Subnecto his merito inſignem locum Celeberrimi ac ſolidiſſimi Viri, JOANNIS SCHILTERI, JCti, qui in præfatione, novæ editioni Betſiani Tractatus præfixa, de hoc ipſo ingenuum fert judicium: „Hic (Betſius) inquit, maximam laudem inde retulit, quod deciſiones quæſtio„num Juris Publici Romano-Germanici non ex Jure Publico Vete„ri Romano, aut illius Status abſolute Monarchici, fundamentis ac „principiis unice arceſſendas putaverit, ſed ex propriis Germaniæ „& vicinorum regnorum, ac Reipublicæ rationibus, inſtitutis ac „moribus, atque adeo & jus Romanum cum Teutonico feliciter „junxerit, nec minus feliciter alterum ab altero diſcernere ſcive„rit„ Conf. Vir Perilluſtris, GEORG. MELCHIOR de LUDOLPH in præfat. eruditiſſimi Tract. *de jure Primogenituræ*, ibi: „Palmam „cæteris omnibus NICOLAUS BETSIUS unus hactenus præri„puiſſe viſus eſt. Viri hujus eruditionem non mediocrem arguit, „quem de pactis familiarum in Germania Illuſtrium edidit Tra„ctatus. Hujus, inquam, auctoritatem ſecuti ſunt, quicunque „juris Primogenituræ caput aliquod in Syſtematibus, Conſiliis, „Deciſionibus, tractarunt.„ Nimirum in eo ſane eximium BETSIUM, atque præclarum eſſe, nemo ambiget; quod, cum ſtudia hiſtorica recentiorum temporum evidenter docuerint, mores Germanorum differre quidem a Gallicis pariter & aliarum gentium

conſuetudinibus, propius tamen in multis omnino congruere & conſonare cum moribus Francorum, aut Franco-Gallorum, quam cum Hiſpanicis & Italicis; quod, inquam, Betsius, ſepoſitis moribus Hiſpanicis, Romanis, Longobardicis, doctrinam de jure Primogenituræ ex moribus Francicis potius illuſtrare ſuſceperit, differentia tamen inter utroſque inſimul probe notata. Cum itaque apud Francos in ſucceſſione Regni vel Principatuum ſæpe Primogenitus Regnum vel Principatum indiviſim poſſideret, ac poſtgeniti alimenta ſolummodo quædam perciperent, frequenter vero admiſſa inæquali dominii & jurium aliorum diviſione, Primogenituræ jus in eminentiis quibusdam & prærogativis, præ ſucceſſione, dominio & juribus aliorum Fratrum, in Principatu ſubſiſteret, ac apud Franco-Gallos, prior ſuccedendi modus, intuitu Fratrum ſecundo-genitorum, *apanage*, poſterior *parage* vocaretur, iidemque diverſi ſuccedendi modi in Germania quoque non adeo eſſent infrequentes: prudenter utique egit Betsius, quod primus nomina *apanagii* & *paragii* ex moribus Gallorum ad mores Germanorum tranſtulerit, obſervata tamen rite utrarumque conſuetudinum differentia. Omnis enim doctrinæ quam maxime intereſt, res diverſas diverſis quoque nominibus appellari. Ubi vero nomina non invenimus, omnino nobis licitum eſt ὀνοματοποιεῖν. Adde, quod nihil frequentius fere ſit, quam voces rerum a populo, ubi res vel primum ortæ, vel ſaltem ab illo populo ad alium translatæ ſunt, ad alteram illam gentem inſimul transferri. Quare nec prudentiæ eſt, in ejuſmodi negotiis litem facere in terminis. Præterea tamen non negandum eſt, Betsii doctrinam in quibuſcunque perfectam, omnibusque numeris non eſſe abſolutam. Id enim cumplurimum evenire ſolet, ut illi, qui viam aliis ſternunt, glaciemq; frangunt, ea omnia, quæ ad exhauriendam totam doctrinam faciunt, accuratiſſime diſcu-

discutere non possint. Etenim, quanquam discrimen *paragii* & *apanagii* in se, tum differentiam Gallici & Germanici *apanagii* & *paragii* utcunque demonstraverit: attamen, cum in Tractatu suo de jure Primogenituræ magis, quam de juribus secundo-genitorum, ad quæ *paragium* & *apanagium* pertinent, differere maluerit, de planiori doctrina, circa *paragium* & *apanagium* tradenda, minus sollicitus fuit, neque forsan opus esse censuit. Etenim, in ipsa tractatione de jure Primogenituræ, quam ante ipsum alii fuse exhibuerunt, multas opiniones, sibi invicem contradicentes, deprehendebat, ut adeo occasio illi non deficeret, de diversis istis opinionibus differendi ac ratiocinandi. Ast, cum ipse de distinctione inter *paragium* & *apanagium*, hujusque distinctionis applicatione, ad quæstiones juridicas de successionibus in Regnis & Principatibus Germanicis prolixe egerit, ipsique adeo distinctiones, quas concepit, distinctæ satis planæque visæ fuerint, nec mente augurari potuerit, quæ aliorum JCtorum, hanc circa *paragii* & *apanagii* applicationem & explicationem incertum dubiumque animum facere possent dubia: cuilibet facile liquet, quod jure suo BETSIUS existimare potuerit, se doctrinas hasce de *paragio* & *apanagio*, secundum omnes numeros & casus absolvisse. Muneris itaque erat alieni, ac sequentium Auctorum, si in doctrina circa distinctionem *paragii* & *apanagii* desiderarent quicquam, aut defectum animadverterent, & testatum relinquerent, distinctionem illam ad mores Germanorum plane non spectare, vel BETSIUM delectum minus adhibuisse inter se *paragium* & *apanagium* Gallicum, aut in applicatione ejus ad mores Germaniæ offendisse. Scilicet ad hæc tria capita omnis controversia referri posse videtur, quæ circa BETSII, vel cujuscunque alterius Auctoris de *paragio* & *apanagio*, doctrinam,

ctrinam,

ctrinam, moveri posset. 1.) An distinctio hæc, origine Gallica, recte applicetur ad mores Germanorum? 2.) An *paragii* & *apanagii* differentia secundum mores Gallorum rite sit exposita? 3.) An differentia inter Paragium Germanicum & Gallicum, item inter Apanagium Gallicum & Germanicum, satis affatimque sit enucleata? Quas vero in quæstiones prolixe in Commentatione nostra inquisivisse, nil attinuit, nec instituti ratio permisit, sicuti etiam hujus loci non est, easdem enodare. Id interim commonendum putamus, distinctionem illam, viris quibusdam Summis, & in his illustri STRYCKIO, ut & WERNERO THEODORO MARTINI, Professori Vitembergensi, nec non solidissimo consultissimoque JCto, JOANNI SCHILTERO, minus displicuisse. Hic enim de juris prudentia, qua publica, qua privata meritissimus Jureconsultus, postquam tricas atque implicationem doctrinæ de *paragio* & *apanagio*, ac neglectum illius inprimis circa *paragii* explicationem, observavit, anno hujus seculi primo Argentorati peculiarem Dissertationem de *Paragio* & *Apanagio* publico eruditorum examini subjecit. In hac vero non solum differentiam inter utramque speciem distincte edocere, sed & illud SPRINGSFELDII de divisione apanagii in *proprium* & *improprium*, inventum examinare instituit, ac solide commonstravit, ea omnia, quæ SPRINGSFELDIUS ad apanagia impropria retulit, vel ad paragiorum classem potius spectare, vel alio modo esse rejicienda. Enimvero, cum plerique Viri Eruditi SPRINGSFELDIUM cœca fide hucusque fuerint secuti, plane non est mirandum, Dissertationem hanc Schilterianam eo applausu atque encomio publico ab eruditis minus fuisse exceptam, quo aliæ hujus incomparabilis Jureconsulti lucubrationes exceptæ fuerunt. Nemo tamen per satis longum temporis spatium veritati a SCHILTERO defensæ, & luce meridiana clariori, publice contradicere atque refraga-

refragari ausus est, usque tandem post mortem demum illius, in Academia Giessensi juvenis quidam surrexit, qui falsam sibi induit persvasionem, doctrinam SCHILTERI *noxiam & detrimentosam*, ut loquitur, *solitis huc usque & usitatis in Romano-Germanico Imperio Publici Juris principiis, immo ipsi juri Primogenituræ esse.* (*) Præsidium atque auctoritatem in præsidio Viri nuper Celeberrimi, ac de Republica litteraria & Jurisprudentia Romana pariter & Germanica æque insigniter meriti, NIC. HERTII, quæsivit. Non obscure vero apparet, Virum Summum in elaboranda hac dissertatione nullas sustinuisse partes, quia id & methodus disputandi, & argumenta proposita vel opposita ubique clamant, quæ plane dissimile & majus pondus habitura forent, si ex armario Viri, præconio nostro majoris, fuissent petita. Hinc laudabili instituto huic sese opposuit M. EPHRAIMUS GERHARDUS, JCtus postea Altdorfinus, qui in Dissertatione inaugurali, Halæ 1709. habita, *Vindicias distinctionis inter Paragia & Apanagia* pro tuenda SCHILTERI doctrina concinnavit, moderante Viro illustri, CHRISTIANO THOMASIO, JCto consummatissimo, ac de orbe erudito insigniter prorsus merito. Quam solide ac erudite SCHILTERIANA doctrina ibidem vindicata fuerit, L. B. ipse facile judicare

(*) Putat quidem Auct. Differt. exempla, quæ ad Paragia referuntur, vel ad terras dividuas esse referenda, cum aliqua tamen Primogeniti prærogativa. Verum, licet non diffiteamur, uti jam antea commonuimus, lusum sæpe esse in terminis, qui in hac materia occurrunt, cum plerique, quod nos Paragium vocamus, adpellent Apanagium improprium, immo paragii significationem, quatenus apud Gallos sumitur, Germaniæ nostræ vix convenire. Attamen, si paragii vocem ad mores Germaniæ applicemus, atque consideremus, Principatus vel Comitatus dividuos dici non posse, ubi sunt inæquales plane portiones, non solum ratione terræ, sed etiam ratione jurium, ubi etiam legitima non semper est salva, nec ad Apanagia hæc posse referri, quæ vel in pecunia, vel in reditibus saltim consistunt, faciliorem putem explicationem, adsumta hac partitione.

poterit. Nos vero, historia hujus controversiæ paulisper exposita, hic publice profitemur, nos per ea, quæ forsan de illa *paragii* atque *apanagii* distinctione in pertenui nostro opusculo fuere consignata, nihil celebritati tantorum nominum, quæ ob singularia sua in Jurisprudentia merita, demisse veneramur, detrahere, sed unice veritati litare voluisse. Neque erroris cujusdam accusari potero, si dixerim, non statim ea, quæ a magni nominis scriptoribus dicuntur, arripienda aut probanda esse. Egregie enim disserit ZASIUS *lib. 2. singul. cap. 1. n. 26.* ibi: „Nihil apud „me loci habet harum ipsarum opinionum, quæ circumferun„tur, auctoritas, nisi juris scripti veritas eas ornet, & ad id neuti„quam adstrictus esse volo, ut curem, quid alii dixerint, sed potius „quid ex veritate dici possit.„ Atque in eandem sententiam loquitur solidissimus JCtus, BENEDICTUS CARPZOVIUS in *Resp. lib. 6. tit. 7. resp. 70. n. 6. & . 7.* „Juris Consulti, inquit, „auctoritas oculos mihi ita non perstringit, ut mancipii instar „ipsorum dicta & opiniones contra rationem juris amplecti co„gar, quantumvis etiam fuerint communes, a quibus alias in ju„dicando & consulendo non facile est recedendum. Non enim „major autoritas tribuenda est opinioni communi, quam ratio„ni & veritati juris, propter quam a communi opinione tutissime „possumus recedere.„ Ut vero scopus, quem in concinnanda hac Commentatione nobis præfiximus, Lectori benevolo paulo propius patescat, monendum omnino est, nos neque de Superioritate Territoriali, neque de subjectione Apanagiatorum in caussis feudalibus disserere, adeoque nec nostra de iis intelligi velle. Superioritatem enim Territorialem Principibus Apanagiatis minime competere, jam diu evictum est, omnique caret dubio. Primogenitos potius eandem in Territoriis horum libere exercere, abunde atque inter omnes constat. Eosdem quoque in caussis feuda-

feudalibus, ad rem feudalem ſpectantibus, reales ſubditos eſſe ac Principum Regentium jurisdictioni ſubjici, ſatis ſuperque declaravimus; Quæ quidem omnia ex ipſo Tractatu perſpicue atque diſtincte percipi intelligique poſſunt. In eo vero totius rei momentum poſitum eſt, ac cardo negotii verſatur, ut dilucide commonſtrare atque ſolide evincere voluerimus, Principes Imp. Apanagiatos ob illuſtrem, qua coruſcant, dignitatem, in cauſſis perſonalibus ac non feudalibus Principum Regentium jurisdictioni minus obnoxios eſſe, ſed potius Cæſaris ſeu Imperii forum ſortiri, adeoque nullibi, quam coram ſummis Imperii Dicaſteriis conveniri poſſe. Atque hanc doctrinam, omni æquitate ſuffultam, ſanisque Juris Publici principiis omnino conſentaneam eſſe, doctisſimi viri jam pridem judicarunt. Sane, ſi auctoritatibus diſceptandum foret, pro ſententia a nobis defenſa allegari poſſent auctoritates BETSII, SPRINGSFELDII, MYLERI, aliorumque, quos citat SPRINGSFELDIUS *de Apanag. C. XI. n. 114. ſeqq.* & MYLERUS, in locis a VITRIARIO citatis. Ipſius quoque SCHILTERI, at quanti viri! auctoritas nos tuetur. In Tractatu enim de *Paragio* & *Apanagio* diſertis verbis ſtatuit: „Paragia „Germanica & apanagia in eo convenire, quod neutrubi poſtge-„niti ſint ſubjecti primogenitis.„ Apparet etiam evolventi locum Illuſtris HERTII, *in Diſſert. de Subject. Territ. §. VI.* quod ſolum de uxore Principis & liberis, non vero de Fratribus loquatur. Ergo remanet ſolus VITRIARIUS, cujus auctoritate certe non movemur. Quamvis enim de iis, quos ipſe Apanagiatos improprie tales appellat, nos vero cum SCHILTERO Paragiatos vocamus, alias recte judicet, hos a ſubjectione Primogeniti eximens. Scilicet in *Inſt. Jur. Publ. l. 3. c. 17. n. 15.* ita diſſerit: „Videtur diſtinguendum inter fratres, qui caſtra & territoria im-„mediata posſident, & eos, qui talia non posſident. Quin prio-„res immediati ſint, & fratri non ſubjiciantur, facile admittere pos-

 ſumus,

„ ſumus, quia non amplius cenſentur eſſe in & de Territorio Fra-„ tris.„ Num vero diſtinctio illa hic ſit admittenda, ac, annon potius eadem juſte rejiciatur, L. B. ex ipſa Commentatione noſtra melius dignoſcere atque dijudicare poterit. Illud præterea hic obſervandum, ejusdem farinæ illud fore, quando quis pro tuenda Apanagiatorum ſubjectione, in hanc ſententiam diſſerere vellet: Primogenitus, cum in teſtamento dictus fuerit regionis Dominus, vel ideo ſecundogeniti eidem ſubjecti eſſe debent. Sed argumentum hoc ſubjectionem Apanagiatorum perſonalem evincere minus poſſe, ſtatim manifeſtum erit. Conjectura enim hæc, quod dictus ſit regionis Dominus, non ex omni parte pro Primogenito facere poteſt, cum talia verba, ſi alia non concurrat conjectura, non probent ſubjectionem in ſecundo-genito, ſicut nec Superioritatem Territorialem in Primogenito. Suffragatur nobis Perilluſtris Dominus, L. Baro de FRIESEN, in erudit. *Diſſert. de jur. Princip. extra Territorium, c. 1. n. 155.* Inquirimus, an in- & ſubſcriptio, *Unſern Lieben Getreuen, Gehorſamen*, & „ iterum, *Unſerm gnädigen Landes-Herrn*, ſubjectionem im-„ portet: quod negat MYLERUS ab Ehrenbach, gratiæque ver-„ ba eſſe aſſerit, nec non complacentiæ, qualia quæ ſunt, obligatio-„ nem non inducunt. Nos equidem putamus, verba hæc ſola „ non probare ſubjectionem, præſertim ea, quibus Princeps ali-„ quem appellat. &c.„ Quod reliquum eſt, L. B. id quoque diligenter notes velim, ea, quæ de cæteris Principum Apanagiatorum privilegiis, primariisque prærogativis in medium adduximus, minime ad omnes & ſingulos ſpectare, aut applicari poſſe; cum in hac Familia Apanagiati vi teſtamenti, vel pactionum ſpecialium, majora jura ſint nacti, quam alii in alia. Enim vero, uti omnia Germanicorum Principum Apanagia ad unam regulam exigere velle, importunum valde fuerit; ita minime in dubium vocandum,

quod

quod non plerumque Primogenitus, præter Superioritatem Territorialem, eminentiora quoque jura sibi reservare, aut certe non nisi modica, eaque minoris momenti jura, ultragenitis concedere soleat. Omnino in Principatibus illis, ubi jus Primogenituræ obtinet, ita observari, locuples nobis testis est Perillustris Dom. a SECKENDORF in *P. II. des teutschen Fürsten-Staats. c. 3. n. 1.* Attamen ea, quæ de subjectione Apanagiatorum immediata fuse disseruimus, ad omnes & singulos merito spectare, facile liquet, cum nimirum ob splendorem natalium, Majorumque celsitudinem in pari cum Fratribus Primogenitis dignitatis fastigio sint constituti. Cæterum confiteri fas est, nec per ea, quæ consignata a nobis sunt, juri Primogenituræ derogatum ulla ex parte esse. Etenim omnino censemus, quod si ad vera Politices Jurisque Publici Germanici principia res examinetur, quæ conservationi familiarum studere, mediaque ad eum finem consequendum usurpari jubent, (inter quæ jus Primogenituræ potissimum esse, communi gentium Prudentumque assensu, ipsis quoque rerum testimoniis probatur) eandem successionis rationem dignitati Illustrium minus officere, immo magis eam evehere. Neque singulorum rationes utilitati publicæ impedimentum objicere, æquitati convenit. Fac, in Imperio æquali dignitate præfulgentes, ad unum omnes, pari jure successionis in territoriis adhuc gavisos esse, jura Primogenituræ exulasse, arbitror omninō Reipublicæ nostræ statum per infinitas discordias civiles, quas exteris instruere solenne est, dudum fuisse pessundatum. Deinde in introductione juris Primogenituræ non id agitur, ut ii, quorum successio est suspensa, ad eam conditionem, qua tueri dignitatem nequeant, redigantur. Hoc enim ipsis rerum testimoniis, exemplis etiam Principum Virorum refellitur, qui apanagio contenti, belli pacisque virtutibus inclyti, sortis suæ pœnitentia ducti non fuere; Ut adeo, si *dignitatem personarum*

 spe-

ſpectes, introductioni juris Primogenituræ nihil obſtare putem. Neque etiam in *qualitate territorii* argumentum invenio, quod ab ea ſententia me dimoveat. Sive enim ea *nullo nexu* ſint affecta, liberrima competet Domino poſſeſſori circa ſucceſſionem diſponendi facultas, Besoldus *Conſil. 148. n. 49.* Menochius *Conſil. 161. n. 28.* Springsfeldius *de Apanag. c. 5. n. 65.* Betsius *c. 8. §. 16, & 45.* ſive *feudi* jure habeantur, & quidem *nove quæſita*, nemo erit, qui voluntate Domini & Vaſalli hac in parte refragari jure queat, Betsius *cap. 9 §. 3.* Si *antiqua* ſint feuda, & mere hereditaria, [quo jure cenſetur Auſtria ex Privilegio Caroli V. vid. Limnaeus *L. V. c. 2.* & in *Addit.* a Rudolpho II. a. 1599. confirmato. De Ducibus Lotharingiæ, aliisque vid. Itterus *de Feud. Imp. c. 3. §. 19.*] eadem cum allodialibus erit ratio, ſi ex *pacto & providentia*, ne in his quidem, ſi quidem feuda hæc immediata ſint, video, quid introductionem juris Primogenituræ, a Parente cum conſenſu Imperatoris factam, irritam reddere queat. Accedit ipſorum feudorum Statuum Imperii conditio, quæ, etſi jure allodiorum per omnia non cenſeantur, ad naturam tamen feudorum communem exigi non poſſunt. Conf. L. B. ab Andler in *Jurisprud. Publ. L. 2. Tit. X. n. 17.* neque pro feudis ex pacto & providentia haberi ſimpliciter, ſed mixti ſunt generis, adeo, ut Statibus Imperii in feudis dominium validius quam utile competat, vid. Perilluſtris L. B. de Lyncker *de his, quæ libert. Statuum perperam accenſentur, Sect. 2. §. 12.* Hinc ad ſolvendum æs alienum etiam agnatos ſuccedentes teneri, magni nominis JCti ſtatuunt, Rhetius *ad 1. Feud. 1. p. 189. & diſſert. de tranſmiſſ. Territ. Germ. in Succeſſ. c. 3. n. 19.* & *Inſtit. Jur. Publ. II. XXVII. §. 1. 2. 3. & III. 1. §. 2. 3. 18.* Vulteius in *Conſiliis Marpurgenſibus, Vol. 3.* Conſ. *35. n. 116.* Klockius *Tom. III. Conſil. 155. n. 114. ſqq.* vid. Lynckeri dict. *diſſert. §. 15.* Atque in Camera Imperiali ita ſententiam ferri, apud eundem

dem KLOCKIUM comprobatum videas. Id quod, licet in quæstione de agnatis difficultate non careat, neque regulariter afferendum, uti ostendit ITTERUS *de Feud. Imp. Cap. XVIII. §. 5.* Si tamen de filiis fuccefforibus fermo fit, nullum adeft dubium, vid. LYNCKER *P. I. Decif. 235.* ITTERUS *d. l.* §. 11. Quidni ergo effectum qualitatis hujus territorii etiam hunc ftatuamus, quod ordo fucceffionis ex jure Primogenituræ ab illuftri Parente, defcendentibus fuis libere poffit præfcribi? Illud quoque obfervandum eft, ipfo docente Imperii ufu, Judiciorumque praxi, quod cum moribus patriis, ex Jurisprudentia interpretativa filiis Illuftrium in feudis non modo, fed & cæteris avitis poffeffionibus, (quæ ut plurimum fideicommiffis, aut pactis affecta funt) jus aliquod radicatum effe dicatur, negotiis iftiufmodi auctoritatem Imperatoriam, non nifi cum caufæ cognitione, hoc eft, auditis, quorum intereft, folere interponi. Quemadmodum & pofita facultate libera alienandi territorium allodiale, nihilominus pro circumftantiarum ratione facultas illa modum accipit; vid. LYNCKER *dict. differt. de his, quæ libert. Stat. perperam*, &c. *Sect. 2. §. 12.* Cæterum, neque etiam de injuria conqueri poterunt filii reliqui, quod æquali dignitate corufcantes, æquali tamen ex Principatu portione non honorentur. Etenim, ficut in liberis Principatibus privata regendi libido publicæ utilitati æquiffimo jure cedere debet, vid. COLERUS *de jur. Imp. Germ. §. 50.* ita id in Territoriis Illuftrium Germaniæ Familiarum, quarum conditio hactenus idenditate rationis cum illis convenit, non minus locum fibi vindicabit. Et fratribus, a regimine terrarum exclufis, quid, quæfo, in cæteris erit defuturum? Nam & iis, ut vitam dignitati convenientem degere queant, profpiciendum, neque etiam, auctis hodie utroque fexu Illuftribus Familiis, occafio matrimonii æqualis contrahendi ipfis deerit. Conf. BETSIUS *de Pact. Familiar.*

miliar. Illustr. c. 8. Plura, quæ forsan huc spectant, omitto, probe scicens, meam non esse hujus rei decisionem, neque judicium generale ferri posse. Diversis diversa placent, prout quisque aut doctrina est imbutus, aut partium studiis addictus. Occurrunt etiam in quolibet loco, ac in qualibet Familia circumstantiæ peculiares, ex quarum consideratione, & cum generalibus axiomatibus comparatione, consilium est capiendum. Quod restat, omnino profiteor, illud a me plane esse alienum, ut, quæ de materia, per totum opusculum a me investigata, exponi digne possint, aut, quæ in aliorum operibus desiderantur, ea omnia me unum esse complexum, sim persvasus. Multo minus ea laboro mentis vanitate, ut ubique acu rem tetigisse me, atque expertem esse erroris omnis existimem. Ut inquirerem, quæ alii prætererierunt, vel exposuerunt levius, ut diffusa enuclearem, enodarem dubia, totumque de hac illustri Iuris Publici materia caput, varie hactenus confusum atque controversum, explicate proponerem, pro ingenii modulo sum annisus. Neque me errantem in via veritatis amice monebit citius, quam ego monentem sequar. Controversiarum, quæ inter Illustres Familias sunt subortæ, aut forte nascituræ, decisionem mihi non arrogavi. Abducto potius a facto speciali animo, proposui totam rem generaliter, additis rationibus ex Principiis juris Patrii potissimum, nonnunquam ex rerum actarum experientia petitis, omnia vero ad Reipublicæ Patriæ, utilitatem perennem, quæ suprema lex esse debet, retuli. Vale B. L. & conatibus hisce qualibuscunque fave. Dab. *Vindobonæ, Ipsis Kalend. August.* A. O. R. MDCCXXV.

JUS.



JUS APANAGIALE,
SEU
DISQUISITIO
DE
STATU PRINCIPUM AC COMITUM IN GERMANIA APANAGIATORUM IMMEDIATO, HUJUSQUE ORIGINE, NATURA AC EFFECTU.

I.



Um de natura jurisdictionis Principis Imperii, actu regnantis, in Apanagiatos, horumque statu immediato, differere in animo nobis sit, apprime commoneamus par est, genera Apanagii a se invicem probe discerni ac distincte cognosci debere. Duo autem eminent, quorum alterum *Apanagii* voce proprie designatur, alterum *Paragium* singulariter appellatur; vel si mavis, *Apanagium* datur aut *simplex* aut *qualificatum*. *Apanagii genera.*

II.

Equidem juvenis quidam in Academia Giessensi distinctionem illam Apanagii impugnavit, & auctoritatem in præsidio Illustris *HERTII*, de Republica litteraria & Jurisprudentia *Differt. de Commentitia Apanagii & Paragii distinctione in*

A Romana

Opusc. HERTII Vol. II. T. II. Diss. 3. habetur. Romana pariter & Germanica insigniter meriti, quæsivit; qui tamen, ut in *præfat.* indicavimus, nullas in exponendo sustinuisse partes videtur. Ac, quam longe eadem distinctio a commento abhorreat, paucis jam declarare libet, neque instituti refragatur rationi. Præcipue autem dispiciendum est, quomodo Apanagium Paragiumque apte definiantur. (*) Nos relictis aliorum hac de re judiciis, ingenio paulisper indulgebimus, &, quid censeamus, paucis exponemus.

III.

Quid sit Apanagium simplex? Apanagium simplex complectitur saltem usumfructionem, sed talem, quæ ad proprietatem proxime accedat, & ad hæredes transeat, aut potius verum dominium, nisi Pactis Familiæ adversum fuerit cautum. Neque enim regula Juris Privati huc pertinet, quæ usumfructum personam egredi haud patitur. Et alia ratio deprehenditur Dotalitii, viduæ Illustri constituti, alia Apanagii, postgenito adscripti. Majorem favorem promereri videntur frater ac vidua, quæ, sicubi accurate loquaris, Familiæ principalis membrum ægre sistit. Apanagiatis ob spem futuræ successionis, ad posteros transmittendam, amplius lucrum indulgendum est, quam sibimet vidua frustra adrogat. *Notatur RHETIUS.* Dissentit *RHETIUS* in Dissert. *de Jure Port. Aliment. C. I. n. 2. sqq. n. 17.* qui negotium ex juris communis præceptis perperam deducit. Interim Apanagio ejusmodi nulla territorii vel prædii superioritas innexa est, ut puta quæ apud Primogenitum remanere intelligitur.

IV.

Quid sit Paragium s. Apanagium qualificatum? Paragium seu Apanagium Qualificatum, appellamus Dominium, quod parte Superioritatis Territorii vel aliquibus Regali-

(*) Omnes Apanagii utriusque species nemo facile definierit, cum istæ primario dignoscendæ sint e Testamentis & Pactis Familiarum Illustrium, de quorum justa explicatione si quæratur, hæcce ita institui debet, ne verba præter mentem nimis torqueantur, aut altera pars lædatur. In dubio tamen, & si interpretatio, rem ambiguam declarare haud valet, pro primogenito magis judicandum esse, habetur compertum, cujus & Reipublicæ potius refert, Apanagium proprium, quam improprium constitui.

galibus pollet. Sicubi universa Superioritas Apanagiato concedatur, jam Paragium sponte corruit, atque in Principatu duæ veluti Superioritates conspiciuntur, quarum nulla alteri cedit, nec ab altera pendet, licet ipsæ ditiones minus æqualiter sint distributæ. Vnde liquet, Paragiatum juribus supremis, Belli, Pacis, Fœderum, ceteris, minus esse ordinarie instructum. Nam cum potestas tribueretur, v. c. belli suscipiendi, Princeps Regens periculis facile subjiceretur. Jura ista Regalia duobus subjectis, in eadem Republica cohærere, Prudentia Civilis, seu, uti hodie appellatur, *Ratio Status*, vix patitur. Contra, facultas leges ferendi, Regimina instituendi, alia præsertim, quæ Minora vocant, Paragiato probe adseruntur. Quapropter iterum erroris coarguendus est RHETIUS *cit. loc. n. 25. sqq.* cuncta Regalia, discrimine non adhibito, Paragiato vindicans. *Confutatur RHETIUS.*

V.

Quemadmodum Apanagium eosdem natales, (*) quos Primogenituræ institutio, sortitum fuit, nimirum altius ac vulgo sueverunt, repetendos; ita de Paragio idem libere adstruxeris. Reges Francorum, e Carolingica stirpe oriundos, sæpius agnatis provincias, jure Paragii possidendas, tradidisse, *Annales Francici* haud obscure innuunt. Arnulphum, Germaniæ Regem, Luitpoldo, agnato, a. 890. Bojoariam tradidisse, satis constat. Quis vero rerum gnarus opinetur, omnem Territorii Boici tum superioritatem cessam? Magis Regalium quorundam, supremis exemtis, usus tantum transiit. Apanagium saltem indultum, vix existimamus, quum majori libertate usi sint Luitpoldus & posteri, quam Apanagii indoles comprehendit. Neque tamen Paragii definitionem excessit largitio. Enimvero bella, quæ Luitpoldus, & filius, Arnulphus, adversus Hunnos *Origo Apanagii & Paragii.*

 nos

(*) Origo Apanagii est antiquissima, cum jam Seculo XI. idem occurrat in Comitatu Flandriæ. Seculo XIII. ejusdem mentio fit in Privilegio Friderici II. Domui Austriacæ concesso, licet ipsa vox in iisdem non occurrat. vid. FUGGERI *Spiegel der Ehren lib. II. Cap. III. p. 181.* ibi: *alii vero heredes minores natu non habeant aliquid, nisi quod ex Regis gratia possint obtinere.*

nos suscepere, auctoritate publica, nec non vi officii demandati, fuere peracta. Et sicubi quicquam amplius adfectarint, aut exercuerint isti, id ad usurpationem injustam merito referendum est, quæ supremæ Regum Germaniæ Dominationi nil detrahere unquam valuit.

VI.

Paragii monimenta ævo Imp. Saxonicorum.

Alia Paragii seu Apanagii qualificati monimenta sese exerunt, ævo Imperatorum Saxonicorum, & illorum, qui eis fuere subjecti. Nam isti, ne vilesceret Domus dignitas, agnatis de idoneis utcunque prospexere alimentis. Quæ percipiendi quadantenus Territorii traditi fructus facultas, portione Regalium Minorum præsertim juncta, fuit mirifice aucta. Sic Boioariam per duo ferme Secula Agnatis Cæsares commisere, majoribus omnino Regalibus sibimet reservatis. An prudenter egerint Reges Germaniæ, potestatem aliquam aliis indulgentes, jam non disquisierim. Sane, licet Paragium tum personam minus egrederetur, occasionem tamen suggessit institutum introducendi, tum plenam Territorii potestatem, tum hæreditariam successionem, antea Ducatibus, Principatibus ac Comitatibus Teutonicis, incognitam.

VII.

De successione olim in Paragiis.

Paragium olim ad hæredes non transiisse, satis evincunt Annales. Si quis beneficio indignus habitus, statim fuit dejectus. Otto M. filios Arnulphi Boici, varia molientes, ad miseram conditionem reduxit. Immo posteri Ottonis M. Cæsaris intellexerunt probe, successionis indolem in Provinciis, Paragii jure relictis, supremæ potestati mirifice refragari. Francici e contraria parte, inprimis Henricus IV. nimis largiter Paragia constituere. Hic Agneti filiæ Friderico Hohenstauffio elocatæ Ducatum Sueviæ administrandum reliquit laxius, ac prius mos patiebatur. Friderico sati deinde ad plenam Superioritatem nunquam non adspirarunt, quæ Paragii limites superaret.

VIII.

VIII.

Sed ex antiquitate Germanica plura de Paragio eruere non vacat, nec ad præsentem Commentationem pertinet, ubi Apanagii qualitas enucleari debet. Interea notatu digniſſimum Paragii exemplum hodie conſpicitur in terris Saxonicis. Nam Teſtamento Joan. Georgii I. Electoris Saxonis, Epiſcopatus Numburgenſis & Martisburgenſis, ad ſeculares uſus converſi, demum ditiones aliæ, præſertim Thuringicæ, tribus filiis poſtgenitis fuere diſtributæ. Igitur ea conditio diviſioni adjecta, ut Electori Superioritas Territorialis, jura præcipua ſervarentur. Quo pertinent inprimis, jus armorum, dein collectiones imperandi, & alia, quæ Tabulæ Teſtamentariæ conſignarunt. Paragiatis vero Principibus, Regimina condendi facultas, & alia quædam jura conceſſa. Superioritatis ergo Territorialis quædam jura divulſa; quo facto res tota, Paragium probe definitur per *Jus Anomalum inter Superioritatem abſolutam & Apanagium.* Ditiones autem hic translatas quodammodo ab Electoratu Saxoniæ, latius accepto, fuiſſe diremtas, ille norit, qui cunctas Juri Primogenituræ ſubjectas olim judicarit. Epiſcopatus Numburgenſem & Martisburgenſem, Joan. Georgium I. ſolum ſibi vindicaſſe ſat patet, qui, ni teſtamentum, fratribus Joh. Georgii II. conſulens interveniſſet, illi una cum Electoratu ac reliquis Provinciis, fuiſſent omnino acquiſiti. Illi Epiſcopatus, Miſniæ Marchionatui inſerti, primogenituræ legem plane ſubierunt, quæ in terra principali dudum effloruerat. Ditiones itidem Thuringicæ, quæ Duci Weiſſenfelſenſi nunc parent, ad Landgraviatum pertinent; ubi pridem Primogenitus omnes alios a ſucceſſione arcebat. Ceterum hodie præſertim reſpiciendum eſt ad pactiones, cum Domo Electorali initas, quibus iſtud Teſtamentum, circa quædam capita immutatum, & res ad Paragii indolem fere redacta fuit, præſertim quod attinet ad Adminiſtratores Epiſcopatuum, ubi Elector ſemper majora jura ſibi adſcripſit, quam in ditionibus Weiſſenfelſenſis. Conf. omnino *Deductio El. Sax. d. 20. Sept. 1685.* paſſim apud Collectores invenienda, unde *Jus Publi-*

Paragii exemplum in Terris Saxonicis.

Publicum Saxonicum non parum illustratur. In ista autem *Deduct.* provocat Elector præsertim, *auf den Brüderlichen Haupt-Vergleich* it. *einen particular Vergleich mit dem Hertzog von Zeitz de a. 1657.* ubi passim postgeniti fratres, Electori *Jus Territorii sublime*, in specie Jus Episcopale, Belli & Pacis lubenter reliquere. Provocatur tamen quoque ibidem ad ipsum Testamentum, & urgentur inprimis verba: *Den Künftigen Churfürsten und Landes-Herrn.* NB. qui titulus nemini postgenitorum tribuatur. Refertur item Jus Cancellariæ, (quamvis illius in Test. commemorato non fiat mentio) ipsis, per *Brüderl. Haupt-Vergleich*, ex speciali favore & sub *restrictione*, fuisse concessum; &c.

IX.

Quomodo Principes Paragiati potestatem exerceant?

An vero Principes, Apanagio qualificato instructi, proprio an personali jure potestatem exercent? Distinguendum hic esse inter Paragii species, omnino censemus. Prima Paragii species est, quando Primogenito Terræ potiores, una cum Jure status & superioritate Territoriali conceduntur, secundogeniti tamen certas Terras obtinent, cum Dominio, Jure Homagii, Cancellariæ aut Regiminis particularis, Regalibus & jurisdictione; Conf. SCHILTER *de Paragio* §. 5. Hoc nec dividuus dici poterit Principatus, ob nimias Primogeniti prærogativas, & injuriam omnino faceremus ejusmodi Principibus vel Comitibus, si eosdem aut dicere vellemus Apanagiatos, aut personali tantum jure potestatem exercere. Plane is, qui partem superioritatis Territorialis, legitima ratione adquisivit, primogeniti nomine uti, frustra existimatur. Ac facultas ultragenito parta, evanesceret fere, sicubi alienis auspiciis regeretur. Inæqualis superioritatis possessio proprium jus non respuit. Altera vero paragii specie huic inferiore rite considerata, nempe, si Terræ inæquali divisione invicem dividantur, sequius geniti adipiscuntur dominium adsignatæ portionis, sine tamen Jurisdictione Territoriali, sive jure Cancellariæ, interdum sine Regalibus Majoribus, quæ penes seniorem manent; non diffitemur, secundogenitos proprio jure potestatem

ſtatem exercere, vix dici poſſe. In dubio enim, ob ſingulares cauſas, pro primogenito conjiciendum eſſe, arbitramur.

X.

Cum de ſpeciebus Paragii (*) quædam iam commonuerimus, non incongruum erit his addere, in eo *SCHILTERO* haud adſentiendum, quod inter Paragia æque referat, ubi ſuperioritas Territorialis ſecundum ratas portionum hæreditariarum communicetur, niſi paragium in ſola diviſione inæquali dicamus conſiſtere. Alias dividua dicitur hæreditas, licet partes ex diviſione Parentis ſint inæquales, ſi modo Jura ſint paria. Talis Diviſio inæqualis Terrarum ex Teſtamento *PHILIPPI MAGNANIMI*, Celſiſſimi Haſſiæ Landgravii, an. 1562. patet. Hic enim Provincias in duodecim Vncias fuit partitus, Guilielmo Caſſelano ſemiſſem, Ludovico Marpurgenſi tres uncias, Philippo & Georgio reliquas tres uncias attribuit, & quiſque poſt mortem ipſius parte ſua inveſtitus, ſeſſionem cum ſuffragio peculiarem in Comitiis fuit adeptus; *HERTIUS d. Comm. Parag. & Apanag. diſtinct. §. VIII.* Huc etiam referendus Principatus Veldentinus & Lautereccenſis in Palatinatu. *Notatur SCHILTERUS.*

XI.

Denique commonendum eſt, aliam rationem eſſe ſucceſſionis, quæ ex parte eſt dividua, ex parte vero ad Paragium vel Apanagium erit referenda. Exemplum in Domo Palatina, dum Wolffgangus, Comes Palatinus ad Rhenum, & Dux Neo- *De ſucceſſione ex parte dividua, ex parte vero ad Paragium vel ad Apanagium referenda.*

(*) Annotandum hic breviſſimis, in Paragii definitione ad terrarum inæqualem partitionem reſpiciendum minus eſſe, potius jurium, ſic, ut, ſi hæc paria utrinque deprehendantur, Paragium vocari haud queat. Et incongruum foret Paragium appellare, ubi in uno territorio duæ veluti conſpiciuntur ſuperioritates, quarum nulla alteri cedit, vel ab altera pendet. Qua ratione merito in hoc §. notatur SCHILTERUS, qui indolem paragii & vocem nimis late extendit, ſic, ut a natura apanagii, cujus ſpeciem ſecundum ipſum SCHILTERUM Paragium conſtituit, longiſſime hæc res videatur recedere, immo illi prorſus adverſari.

Neoburgicus atque Bipontinus, facto a. 1568. Testamento, Primogenitum in Ducatu Neoburgico, secundogenitum in Ducatu Bipontino instituit hæredes, ut reliquos tres isti Regentes alere, iisdemque satisfacere, *sie abfertigen*, teneantur. *Schilter. d. Parag.* §. *X.* (*) Simile Exemplum in Ducatu Megapolitano, cum a. 1547. Dux Albertus mortuus esset, relictis quinque filiis, Jo. Alberto, Vlrico, Georgio, Christophoro & Carolo, major natu ad sexennium Dux regens fuit; Homagium vero omnibus simul reservatum. Anno 1552. mortuo Henrico II. Duce Megapolitano sine filiis divisio facta inter primo- & secundo-genitum, qui duo Regentes cæteris alimenta dederunt; *Schilter. cit. loc.* §. *XII.* Ejusmodi exemplum in Domo Saxonica olim reperimus.

XII.

Notatur Itterus. Ex hactenus in medium prolatis liquere iam poterit, quam graviter fallantur, qui Apanagiatis superioritatem Territorii adserunt. Huc pertinet *Itterus de Feud. Imper. c. XIII.* §. *5.* Enimvero ille ignorasse videtur, Apanagium variis modis concedi, & integro charactere, perfectum Territorii jus minus continere. Secutus fuit *Itterus Rhetium*, qui *cit. Diss.* Apanagii qualitatem, ut jam commonuimus, nimis extollit. Exemplum, a Domo Brandenburgica depromtum, temere producitur. Ditiones Franconicae, quas Marchiones Brandenburgici, Culmbacensis & Onolsbacensis gubernant, Electoratui Marchico nunquam fuere innexæ. Neque igitur Primogenituræ sanctio ad eas valuit pertingere. Quemadmodum Marchiones, antequam ad filios postgenitos Joan. Georgii Electoris regiones transirent, pleno Territorii jure polluerunt, sic istorum stirpe a. 1603. exarescente, cessione a Joachimo Friderico, Joan. Georgii Primogenito, solemniter suscepta, idem istis, tenuiori haud facultate, accessisse intelligitur. Marchiones Franconicos cuncta Regalia, quæ plenam Supe-

(*) In Lunigii Staats-Consiliis Tom. I. p. 1501. habetur Consilium Georgii Everhardi de Jure Primogenituræ in Domo Palatina.

Superioritatem efficiunt, contradicente minus Electore Brandenburgico, sibi adrogare compertum est, & vel delectus militum solus comprobat, Paragiatis v. c. Weissenfelsensi, Saxoniæ Duci, utrumque negatus. Quapropter Principes istos Apanagiatis vel Paragiatis adnumerare ineptum foret. Ast quæritur, annon ditiones Ducum Ernestinorum v. c. Meiningensis, ad Paragia possint referri? *Neg.* quia Jus Primogenituræ, divisione terrarum a VII. fratribus suscepta, non exstitit, nec testamento Ernesti Pii introductum fuit, quod tamen contigit in Linea Albertina, de qua supra. (*) Ergo peracta tunc fuit *inæqualis terrarum dividuarum distributio*, ubi *Seniori* opimior pars adsignata, una cum *Jure Directorii negotiorum Imperii, Circuli &c.* idque factum & corroboratum fuit *pactione* singulari, quam exhibet *LUNIGIUS Archiv. Imp.* P. II. Sp. Sect. I. n. 67. p. 201. quicquid pater jussisset, ut *omnes*, si fors tulerit, ditiones universas, *administrarent*, *Seniore* negotia Imperii &c. dirigente. Meiningensis quidem Dux, in quem olim Gothanus ex pactis plura sibi asseruit, a nexu fere, conventione alia, liberatus est, & *liberius Salfeldensi* &c. regionem suam regit, jure etiam conscribendi milites, & varii generis facultate, Albertinis Ducibus ab Electore non permissa, instructus. Unde consequitur, perperam Duces Albertinos ac Ernestinos, ex Ernesto pio scilicet oriundos, invicem commisceri, atque imperite existimari, talem rationem Ernestinorum conditionemque deprehendi,

(*) Adde, quod isti ex Linea Ernestina varia Regalia sibi jure adserant, Regimina alant, & alia exerceant, quæ characterem proprii Apanagii longe egrediuntur, immo re exactius perpensa, in meliori liberiorique, intuitu Ducis Gothani, conditione versantur, quam Principes Lineæ Albertinæ Paragiati, intuitu Electoris. Nam ut reliqua prætermittam, observatu dignum est, Duces hosce delectum militum instituere posse, neque Gothano licere, sine consensu, eandem facultatem in istorum Territoriis sibi adrogare; præsertim si Principatum Coburgensem spectes, cujus possessor præcipuis juribus, tam potestatem regionis, quam suffragium Comitiale attingentibus, munitus deprehenditur.

hendi, intuitu Ducis Gothani, qualem Albertinorum, intuitu Electoris, deprehendere licet.

XIII.

De indole Communionis Regiminis.

Distinctione Apanagii, quantum pati videbatur instituti ratio, explicita, nunc quædam itidem de indole *Communionis Regiminis*, *einer gemeinschafftlichen Regierung*, commemoranda sunt, ne quis forsan res, adeo discrepantes, confundat. Discrimen potius, Apanagium utriusque generis, ac hujusmodi formam gubernationis intercedens, probe intelligendum, simulque observandum est, ea, quæ deinceps circa jurisdictionis in Apanagiatum materiam, disceptabuntur, ad istum societatis illustris & principalis casum, haud esse proferenda. Enimvero, si alicubi regimen partitum, ac Superioritas divisa, ejusque communio inita, *wann eine gemeinschafftliche Regierung eingeführet*; uti de Domo Saxo-Vinariensi constat, tum primogenitus & secundo genitus pari *fere* censentur jure, & hic ideo in omnium negotiorum, *Reichs- und Landes-Sachen* tractatione concurrit, quia Superioritas, etiam quod ad *essentiam* attinet, apud secundogenitum residet. Vbi talis communio Regiminis recepta, nec Apanagium nec Paragium adest, sed vera *parilitas & societas territorii ac jurium innexorum*. Istiusmodi societatis introductio, quæ vel testamentum (*vid.* HERTIUS *Opusc. Vol. Tom. II. p. 117. sqq.*) vel pactum fundamenti loco habet, præstruit territorium dividuum, seu divisionis capax. Sic enim habent verba *Testamenti* Ducis Vinariensis, Joannis Ernesti, de A. 1683. apud HERTIUM *alleg. loc. eher nicht zur Theilung* NB. *schreiten sollen, biss durch des Höchsten Seegen Deroselben noch so viel Lande ausfallen möchten, dass sie mit der Zeit Fürstliche Portiones machen, und zu einer erheblichen und austräglichen Lands-Theilung* NB. *oder Oerterung gelangen können*, &c. Ubi autem dividuitas obtinet, locum nec habet primogenitura, neque adeo quædam Primogeniti singularis ratio. Primogenitura autem deficiente, omnis Apanagii cujuscunque existentia merito negatur. Certe, quod colligitur, ex verbis *cit. Testamenti*, divisio saltem *suspensa*; quod quidem rem ipsam non afficit,

afficit, vel Primogenitum quidpiam juvat. Enimvero, hujusmodi communione regiminis constituta, Primogenito utplurimum, præcipui aliquid solet relinqui, e. g. *Jus Directorii.* Conf. *alleg. Testam.* ibi: *Unsers ältesten Sohnes Lbd. einen Weg als den andern die gewöhnliche* NB. *Landes-Fürstliche Direction* &c. *übernehmen.* Ast id communionis essentiam non intervertit, quum hæc omnia ad *externam administrationem* spectent, quæ *commodius* ab una persona suspici potest. Immo expresse tum consuevit caveri, & quoque cautum fuit in *dict. Testam. Dass der älteste Sohn die Landes-Fürstliche Direction in gemeinschafftlichen* NB. *Nahmen führen soll.* Ac inprimis notanda sunt verba ejusdem *Testam. anderst nicht dann mit Unsers jüngern Sohns und Ihrer beeden Lbd. Lbd. gesambten Geheimen* &c. *führen lassen soll* &c. Unde apparet, paria propemodum jura secundogenito hic vindicata esse, dum ipsius *Consiliarii* necessario simul adhibendi sint, nec aliquid, nisi *directionem externam* privativam, tribui ei, qui ætate superat. Hinc quoque consequitur, scite reprehendi *SPRINGSFELDIUM* ab *HERTIO cit. loc.* quod Apanagio accenseat, ubi Territorium *individuum* manet, i. e. non dividitur, & Senior seu Major natu administrat. Quilibet facile judicabit, naturæ contractus, societatis gnarus, hic, socio renitente aut dissentiente, agi aliquid minus posse; quæ cuncta ad Apanagiatum accommodari nequeunt, cujus dissensus parum operabitur, cum Primogenitus & Dominus Territorii ad reddendas isti facti sui rationes haud possit adigi, & ipsi sufficere debeat, si ob futuram successionem, nil ingentis damni, v. c. alienatione emergat, quo casu Apanagiati, omnes generatim Agnati, Principem *commonere*, & jura sua idonee tueri minus prohibentur. Ais autem: hoc tamen casu plus juris Paragiato adscribendum esse, quam simplici Apanagiato, ac illius consensum a Principe Regente & Territoriali omnino *in negotiis arduis* seu *magni momenti*, exquirendum esse, cum insigni Territorii portione & Regalibus quibusdam emineat, nec illi sit subjectus. Equidem non ignoramus illam eximiam diversitatem, jam supra explanatam, nec nos fugit *Te-*

stamentum Joannis Georgii I. Elect. Sax. quo præcipitur, ut Elector consilio Fratrum, ac hi vicissim Electoris uti debeant. Sed id tantum capiendum est de negotiis quibusdam; v. c. renunciatione jurium Domus & aliis, ad quæ rite perficienda, Apanagiatorum etiam consensum requiri, paullo ante commonuimus. Ceteroquin, quod *administrationem jurium Territorialium* attingit, Elector non habet, cur Paragiatorum Ducum consensum imploret, cum eo mens & verba Testamenti non sint extendenda. Atque inter consilium, *Rath*, & consensum, *Bewilligung*, magna intercedit differentia. Quemadmodum contra Elector Duces istos, in exercendis juribus, per Testamentum indultis, non potest impedire. Jura autem hæcce si considerentur, *non divisa* a *divisis* probe sunt discernenda. Dantur enim hic *getheilete und ungetheilete* jura, inæqualiter licet, ac integra Primogenitæ & Electoralis Domus eminentia. Hoc igitur casu, *communio* veluti erecta fuisse censetur & societas, salva nihilominus præcipua Electoris auctoritate, ac *Capitis Familiæ*, prærogativa, quam in sequentibus etiam innuit & corroborat Testator: *Seine Liebden*, (Primogenitum) *vor das Haupt* NB. *Unsers Chur-Fürstlichen Hausses erkennen, Ihme mit Freund- und Brüderlicher Observantz, Liebe und Treue, auch* NB. *Ehrerbietung* &c. *jederzeit an die Hand geben.* &c.

XIV.

Principes Paragiatos Imperio immediate subesse asseritur.

Principes, quibus particula Superioritatis una cum terris cessit, immediate Imperio subesse, neque Primogeniti Dominatum, licet longe lateque pateat, ad ipsos proferri posse, mihi quidem non improbabile videtur. Equidem iidem jure suffragii, in Comitiis Imperialibus dicundi, minus regulariter gaudent. (*) Attamen, quum Regalia, quibus utuntur, Cæsare inve-

(*) Equidem Jo. HENRICUS LOMBARDUS *in Trutina Trium Quæstionum Controversarum Francofurti 1710.* edita, atque occasione Landgraviorum Lineæ Reinfelsensis concinnata, Paragiatos etiam in numero Statuum haberi contendit, & quidem potentia tales,

investiente, adquirant, istius jurisdictioni obnoxios eos esse non arbitror; Alioquin enim dominia directa mirifice colliderentur. Deinde usu longævo invaluit, Paragiatos immediata Imperii membra censeri, sic ut actione conventi, Judiciorum Imperialium forum sortiantur.

XV.

An vero Apanagiati, qui prædia sine portione Juris Territorialis accepere, Principis Regentis seu Primogeniti jurisdictionem agnoscere debeant, gravissima est quæstio, quæ utrinque fortissimis roborari potest argumentis. Principio autem, justo ordine servato, rationes, quæ caussam Principum Regentium adjuvare videantur, simpliciter recensebimus, deinde quibus fundamentis opinio, Apanagiatis immediatam conditionem & exemtionem a *Jurisdictione Territoriali* adsignans, præcipue innitatur, exponemus, sententiam demum nostram declarabimus, Praxin itidem & usum hodiernum, hic obtinentem, commemoraturi. Ceterum priusquam argumenta, pro subjectione evincenda, in medium proferantur, commonendum est, *subjectionem* hoc loco minus intelligi vulgarem, quæ redoleat descriptionem. Hanc enim illustri Apanagiatorum conditioni utique refragari, omnes concedunt. Subditus proprio sensu is judicatur, qui non tributa Superiori tantum pendet, & civili actione pulsatus, Judiciorum Provincialium, sententiis paret, vel ista frustra declinat, sed etiam, si crimen perpetrarit, pœnis legitimis quibuscunque coercetur. Quis autem hancce definitionem ad Principes Apanagiatos extendat? Sane ipsos Collectarum impositionem, quamvis extra ordinem imperentur, tangere, nemo arbitratur, in pactiones singulares eos obstringant. Id quod consuetudine abunde comprobatur. Præterea, Apanagiatum, licet nil Superioritatis possideat, a Principe Regente puniri haud posse, hinc constat, quod nequidem hic in liberos animadvertat. Longe vero fratres Principis a liberis ejusdem adhuc differunt, Patriæ potestatis vis ad

An Apanagiati Primogeniti jurisdictioni sint obnoxii? disquiritur.

tales, ad illam tamen Auctor quidam Anonymus singulari Epistola Francofurti 1711. 4. respondet.

ad Principes itidem Imperii omnino pertinet. Nihilominus ista, habitum Jurisdictionis criminalis non illico conciliat. Liberos Principi parenti, non tantum ratione *Societatis politicæ*, immo quoque Juris Territorialis habita, ita subesse, lubenter fatemur, ut in *civilibus caussis* forum ægre queant amovere, quicquid alii dissentiant; *Vid. MYLER AB EHRENBACH de Princip. & Stat. Imp. C. XXXV. p. 334.* qui immedietatem, quam vocant, liberis illustribus nimis liberaliter vindicat, ac jurisdictionem omnem parentibus denegat, sententiam suam parum probans, & ex Legibus Romanis, ad quas imperite provocat, argumenta depromens. Inter civilem tamen & criminalem jurisdictionem magnum intercedit discrimen, cui personas Principum subjicere, *prudentiæ civilis* regulæ haud patiuntur. Si quæ autem in aliis Regnis exercitæ olim hujusmodi jurisdictionis deprehendantur monimenta, ad Germaniam tamen temere accommodantur, ubi diuturnus usus Potestatem Territorii sic constrinxit, & liberis illustribus abunde prospexit. Conf. idem *MYLERUS, C. XXII. Gamolog. §. 5. seqq.* qui, quod ad jurisdictionis criminalis materiam attinet, scitius differit.

XVI.

An Apanagiati & liberi Principum Imperii a Cæsare possint coerceri? quæritur.

Possuntne autem Apanagiati itemque liberi Principum Imperii, sicubi delicti quidpiam commiserint, a Cæsare coerceri? Equidem hæc ardua quæstio variis modis disceptatur, ac complures Ordinum caussam acriter tuentur. Nihilominus non imprudenter judicarit aliquis, *FURSTENERIUM de Jur. Supremat. C. XII. inviolabilitatem,* (sit venia verbo) Principum Teutonicorum forsan magis, ac par fuerat, extulisse. Conf. *KULPIS. de Jur. Legat. C. XX. §. XV.* & Illustris *HEINR. DE COCCEII, Vol. I. Exercit. Curios. pag. 689. sqq.* Proceres quondam ob crimina privata, v. c. homicidii, adulterii, carceri traditos fuisse, quo vindicta publica commodius locum sibi vindicaret, vel exemplo Ludovici, vulgo, *des Springers,* Thuringiæ Landgravii, liquet. Neque omnes, puto, Philosophiam *RHETII* facile probabunt, qui, quum *Titulum extremum*

mum Institutionum Iustinianearum, in Publico Jure nil præstare contendat, Principes Imperii ab omni persecutione criminali immunes esse, opinatur. Certe RHETIUM hactenus frustra redarguas, quod Juris Romani, in hac Juris Publici quæstione, explodat auctoritatem, siquidem status rei Teutonicæ, publicus præsertim, a statu priscæ rei Romanæ longissime differt. Verum hoc argumentum rem non exhaurit, quum spectandum magis sit, quid observantia Imperii legitima, quae legis vicem obtinet, præcipiat. Sane pœna, immo vox ipsa *banni*, Gentium iuri prorsus incognita, nec, si bello gentes sese atterunt, & alterutra pars vincitur, victæ ditio, libertas &c. titulo pœnæ, sed victoriæ effectu adimuntur. Omnis pœna præstruit jurisdictionem & potestatem superiorem, qualis liberos inter populos exulat, utputa quorum singuli ipsimet, summo imperio eminent, ac æqualitate, a jure Naturali & Gentium constituta, fruuntur. Ex contraria parte, in Germanico Imperio, hujusmodi perfecta libertas Juris Gentium non occurrit. Ubi hæc differentia sollicite est animadvertenda, quod, cum de præscriptione seu pœna agitur banni, *Jus Principum, das Fürsten-Recht*, locum obtineat, in delictis autem privatis, quæ statum publicum non attingunt, non æque puto. Equidem illorum opinio paucis, puto, arriserit, qui sanctiones *Ordinatione Criminali Caroli V.* comprehensas, ad ipsos Imperii Status proferunt, temerario ausu impulsi. Neque hodierna rerum facies, ac *Ratio Status* pati amplius videntur, ut Celsissimi Germaniæ Optimates ob delicta privata, pœnis iisdem afficiantur, quas summa Territoriali jurisdictione instructi, subditis suis, omni adpellatione ad Imperii Tribunalia remota, ejusmodi delictorum reis, imponere consueverunt. Attamen non ægre quis concesserit, Cæsarei officii indolem utique postulare, ut Status delinquentes de vitæ ratione melius instituenda admoneantur, neque minus, si *Monitoriis* obedire nolint, ad parendum adigantur. Quicquid autem Principes actu regnantes ac *Potentatu* eminentes, libertatis sibi vindicent, Apanagiatis tamen non similiter indulgeri solet, inprimis, si in Terris Imperii

perii delinquant. Vid. Conſtit. Friderici II. itemque Alberti I. quas adlegat *L. B. DE LYNCKER de Libert. Statuum pag. 43.* Exempla, quæ producit *STRUVIUS*, (*) Domum Saxonicam non excedunt, in qua quidem plura ſingularia, inprimis ob Archi-Mareſchalli atque *Judicis Criminalis* officia deprehenduntur, ſic, ut veſtigia tantæ facultatis adhuc ſuperſint, quæ in ejusmodi cauſſis vim ſuam exſerere poſſint. Sane, ſicubi Imperator jurisdictionem ſibi in Nobiles immediatos vindicet; *BURGERMEISTER im Graven- und Ritter-Saal p. 369. ſqq.* qui Receſſum Imp. de *a. 1594. §. 69.* probe excitat, ac rem præjudiciis confirmat; multo magis eadem uti poterit in Comites Apanagiatos eosdemque immediatos, quos hac quidem parte Nobilibus inferiores cenſeri, nativitati eorum ac illuſtri conditioni & aliis prærogativis nimis repugnaret. Deinceps diverſa ratio eſt ſimplicis captivitatis, a judiciali inquiſitione ac coercitione. Saxoniæ Duces, quos *STRUVIUS* loc. cit. refert, ſolummodo carceri manciparunt. Neque aliquis negarit, quin, ſi Apanagiatus in Territorio Principis Primogeniti delictum perpetret, hic illum deprehendere queat, ne aufugiendo impunitatem adipiſcatur. Neque *HERTII* opinio animum flectit, qui itidem *Opuſc. V. II. T. 2. p. 111.* indiſtincte Apanagiatos Primogenito, ut regionis Domino, ſubjicit, auctoritate *VITRIARII L. III. Inſtit. J. P. Tit. 17. §. 14. ſqq.* motus, atque proin exemplum affert, ubi princeps agnato concubinam auferendam, ac in ergaſtulum abducendam, curaverit. Nam *VITRIARIUS* nullam adſertionis idoneam apponit rationem, nec præjudiciis genuinis ſententiam ſuam corroborat, neque diſerte explicat, an voce *Jurisdictionis*, criminalem quoque ſubintelligi velit. Atque eo caſu, quem *HERTIUS* alleg. loc. recenſet, jurisdictio in concubinam, utique Domino Territori ſubditam, exercita fuit, nequicquam in Apanagiatum, in quem nil tentatum, quamvis Princeps Regens in hac cauſſa fundamentum facti in jurisdictione, in Apanagia-

nagia-

(*) In Syntagmate Juris Publici *Cap. XXIV. §. XV. pag. 1123. & 1124.*

nagiatum quasi fundata, collocasset. Denique cuncti norunt, etsi aliquando Apanagiati quidam in criminali negotio Principis Regentis potestati sese submisissent, istud aliis jurium suorum conservationem exactius curantibus, nil obesse.

XVII.

Antequam vero argumenta, tam eorum, qui pro *jurisdictione Primogeniti in caussis civilibus* (nam de hoc genere proprie hic agitur) militant, quam reliquorum, qui exemtionem a Superioritate, & immediatum characterem Apanagiatis vindicant, delineentur, probe animadvertendum adhuc est, neminem fore, qui eo delabatur, ut a Principibus Galliae vel ceterorum Regnorum ad Teutonicos arguat. Sane in Francia cunctos existimari subjectos, etiamsi Regi vinculo sanguinis sint conjuncti, *Princes du sang*, abunde exploratum est. Conf. SPRINGSFELD *de Apanag. C. XI. n. III.* ubi ex BODINO, HOTTOMANNO &c. refert, *Principes Galliae Apanagiatos, Regisque agnatos, huic ad homagium ac fidelitatem praestandam esse obligatos.* Ibi enim forma Monarchica plane invaluit, & in ditionibus Ducum, vel Principum, *Superioritas* quaedam, i. e. Regalium complexus, non conspicitur. Immo subjectio eo sensu forsan hic accipienda est, ut ne quidem Principibus a persecutione criminali immunitas relinquatur, quicquid FURSTENERIO *de Jur. supremat. C. XII. p. m. 38.* videatur, qui nondum probavit, Regem, in Regno mere Monarchico, praesertim ob justas rationes, circa successionem, sine consensu populi, nil posse immutare. Certe tot exempla in Annalibus Gallicis, inter quos, THUANI, Historici cordati, si recentiora secula considerentur, palmam praeripiunt, obvia, ubi Principes Agnati, non solum, si hostile quid contra Regem Regnumve machinati, & proin criminis laesae Majestatis rei facti, sed itidem, si variis flagitiis vindictam publicam provocarint, carceri inclusi, ac poenis arbitrariis fuere adfecti. Licet autem delicta, illustris sanguinis effusione, raro fuerint expiata, tamen hinc temere concluditur, Regibus non licuisse, poenam mortis in-

A Principibus Galliae & ceterorum Regnorum ad Teutonicos perperam concluditur.

C flige-

fligere, cum potius clementia, & favor familiæ, cujus conservationem potius & augmentum, quam decrementum ac dedecus Summi Principes cordi habere solent, omni ratione parcendum, ac hujusmodi illicita ac turpia facta supprimenda magis esse, prudenter judicantes, qualemcunque mitigationem, condonationemve, progenuisse videantur. Ceterum notatu omnino dignum est, Apanagii Gallici indolem, a Germanicorum Principum alimentis, plurimum distare, utpote quæ largiter magis subinde conceduntur, ac majoribus sæpe juribus ampliantur. Nam pactis Familiarum Illustrium in Germania plerumque cautum est, ut Fratribus postgenitis opimum prædium seu præfectura *Amt*, una cum Regalibus minoribus v. c. *Ober - und Nieder - Gerichten*, *Jagden*, &c. concedatur, atque exercitium diversorum jurium fiscalium, finibus prædii conclusum, tribuatur, unde reditus, dignitati sustinendæ idoneos, percipere possint. Contra in Galliis, Apanagia regulariter, in annua pensione, vel simplicibus fundi adsignati proventibus, sine adeo libero jurisdictionis inprimis criminalis usu, ac Regalium, ad Fiscum locupletandum pertinentium, (excepta venandi facultate) exercitio, consistunt, quapropter Principibus Apanagiatis ibidem in caussis criminalibus inter Apanagii subditos cognitio saltem simplex & captura, item mulctæ indictio, & coercitio delictorum leviorum, permissa sunt, nequaquam vero licet, sententiam capitalem pronunciare, ac de caussis gravioribus decidere; utpote quo casu, *Parlamentum*, quod vocant, jurisdictione, perpetuo usu firmata, ac late protensa, utitur, ita, ut ne quidem a Duce Aurelianensi impediri sese patiatur; hac parte a reliquis Agnatis Regiis haud distincto. Unde omnino consequitur, Gallicos mores, ut opinioni, Principum Regentium caussæ inservienti, præsidium adferant, temere huc excitari.

XVIII.

Primum Argumentum pro

His itaque præmissis, ipsæ rationes enarrandæ sunt, quarum primaria Regulæ sat cognitæ superstructa est, statuenti: *cunctos*,

Primogenito pugnans a qualitate Territorii depromtum exponitur.

cunctos, qui in Territorio aliquo bona possideant, Domino istius subesse, neque dignitatem possessoris ullam hinc eximere. Interesse, *ajunt*, publicæ rei, possessores fundorum, in Territorio sitorum, ad externa Judicia minus convolare, nec potestatem, prætensa dignitate, elidi; tamdiu itidem pro suprema Principis gubernantis jurisdictione pugnare conjecturam universalem, usquedum conditio immediata demonstretur, vel legitima exemtio; Apanagiatos autem nullibi privilegium tale obtinuisse, ac proinde forum Provinciæ in civilibus declinare minus posse, præsertim, si Territorium Primogeniti *clausum* sit, ac perfectus ibidem Landsassiatus obtineat, cum Vasallagio arctissimo vinculo conjunctus, veluti in Saxonia, Hassia, Marchia Brandenburgica &c. *Addunt*, Apanagiatos, licet *Landsassiis*, pleno ac proprio sensu dictis, temere æquiparentur, quum characteres varii, unde Landsassiatus dignoscitur & probatur, huc applicari nequeant; v. g. homagii præstatio, Comitiorum Provincialium, *Land-Tage*, frequentatio &c. aliqua tamen ratione tales censendos esse, quoniam nil prohibeat, quo minus ii, qui semel exclusi tantisper a succesione, & certa *portione alimentaria* præditi tantum, cives efficiantur, licet exstincta Primogeniti stirpe, Domini evadere possint, ac eo ipso, dum prædium quoddam Principi titulo Apanagii conceditur, tacita traditioni conditio sit inserta, qua injungente, Apanagiati, persona aliquid dudum qualitate feudali aut Landsassiaca adfectum, nacta, superioritatem Territorialem, apud Primogenitum remanentem, debeat revereri.

XIX.

II. Argumentum, quod Primogenito favet, Apanagiatis Statuum qualitatem atque Territorii immediati possessionem denegans.

Ut quis dicatur immediatus, prærequiritur vel Status Imperii qualitas, vel Territorii immediati possessio. Status Imperii, licet nulla Superioritate gaudeant, immediate isti parere, usus Germaniæ diuturnus evincit, atque hæcce sua natura invicem cohærent, neque unquam divelluntur. Status autem Imperii Apanagiatos cum nemo rerum peritus autumarit, Paragiatis ne quidem ad Comitia admissis, STRUV. *Syntagm.*

tagm. Jur. Publ. C. XXVII. §. 10. deinceps particula Territorii, nomine Apanagii, a Primogenito Fratri, vel aliis agnatis relicta, indolem pristinam retineat, neque regulariter efficiatur immediata; hinc quoque colligitur, pro tuenda Principum Regentium in Apanagiatos jurisdictione, istos ad numerum immediatorum Imperii Membrorum frustra referri, postquam legitima requisita immediatæ conditionis atque genuini characteres deficiunt, ideoque ab omni Primogenitorum potestate haud liberatos existimari posse.

XX.

An Apanagiatus ratione Territorii immediati, per matrimonium adquisiti, saltim Imperii forum sortiatur, quæritur?

Ast, quidsi Apanagiatus Territorium immediatum matrimonio forsan fuerit adeptus? Tunc sicubi intuitu illius conveniatur, coram Judiciis Imperii forum sortiri eum, omnes fatentur; quemadmodum compertum itidem est, characterem & dignitatem Status Imperii, Territorio parto pridem connexam, simul transire. Nihilominus autumant, qui contra immedietatem Apanagiatorum pugnant, jurisdictionem Principis Regentis in Apanagiatum talem haud migrare, & cum lis prædium, jure Apanagii cessum, præsertim attineat, prætensa quadam immedietate frustra declinabitur, quum possit aliquis duas qualitates, immediati & mediati, habito certo respectu, induere; veluti ditiones varii generis & variæ formæ, sibi adquirere nemo prohibeatur, ita, ut hac ratione forum & jurisdictio pariter ac ipsæ terræ dispescantur, atque nefas foret, adeo distantia invicem commiscere.

XXI.

III. momentum, quod Primogenito jurisdictionem in Apanagiatum vindicat, in domicilii constituti, ac receptionis annuæ pensionis ratione positum.

Amplius statuitur, in Apanagiatum non solum ideo jurisdictionem a Domino Territorii exerceri posse, quia prædium forte possideat, sed eum quoque, annuam pensionem saltem qui recipiat, & in Territorio Principis Regentis seu Primogeniti domicilio fruatur, a subjectionis norma & lege haud esse exemtum. Sicubi enim, *ajunt*, Jure Gentium, quilibet in regione quadam prædia possidens & inhabitans, potestatem illius revereatur, qui ibidem Superioris officio fungitur,

non

non apparet, cur Apanagiati, in territorio, animo ibi permanendi commorantes, quanquam bonorum immobilium possessione destituantur, jurisdictioni Primogeniti prorsus subtrahere semet velint, in omnes regionis incolas generaliter exercendæ. Conf. quæ de domicilio ejusque effectu differunt, *SCHILTER Exerc. ad ff. XIII. §. 23. sqq. f. 412. sqq.* & *COCCEIUS Vol. I. Exercit. Curios. Differt. LIV. tit. 2. p. 686. sqq.* Quibus accedat, quod, dum Apanagiati contra jurisdictionem Primogeniti territorialem pugnent, despicere istum videantur, qui lege Primogenituræ justissima fultus, regionem dirigit, ac agnatis suis omni ratione prospicere, merito existimatur.

XXII.

IV. Argumentum Primogenito favens, quod in eo consistit, qua ratione clausulæ, pactionibus familiarum Illustrium in gratiam immedietatis Apanagiatorum, adjecta, sint explicanda.

Fortissimum etiam, jurisdictionis caussæ suscipiens defensionem, documentum hinc elicitur, quod alioquin mirandum, nulli scriptorum, pro eadem militantium, adductum ac probe expositum, quod in quibusdam Ordinum Teutonicorum pactionibus familiaribus, ubi de Primogenituræ & Apanagii jure, cautum fuit, Apanagiati diserte exemtionem a Superioritate atque conditionem immediatam sibimet reservarint. Equidem non sunt forsan defuturi, qui existiment, clausulas tales, Illustrium conventionibus vel testamentis subjunctas, inanes, aut sine gravi caussa additas minus exstare. Dum enim stipulatio istiusmodi intercesserit, Apanagiati præstruxisse, ac agnovisse tacite jurisdictionem Primogeniti videntur. Immedietatis autem ejusmodi, singulari conventione innixæ ac reservatæ, exempla occurrunt memoratu digna in Domo Principum Ascaniorum, quorum Historiam, documentis optimis adhibitis, consignavit *BECMANNUS* itemque Comitum Lippiensium & aliis. Conf. *HERTIUS Vol. II. Opusc. T. 2. p. 124.* ubi pactionem, comites inter Lippiacos A. 1616. initam, adlegat, qua Apanagiati Primogenito Regenti subjecti esse negantur, hisce verbis: *Die abgetheilte Herren seynd dem regierenden Herrn nicht unterworffen, sondern für ungemittelte* NB. *freye Grafen des Heil. Röm. Reichs zu achten.* Dixerint

 igitur,

igitur, jurisdictionis in Apanagiatos assertores, exceptionem firmare regulam (ipsis propositam) in casibus non exceptis, ac si quæratur de ejusmodi clausulæ, qua reservatio immedietatis continetur, explicatione, in dubio conjiciendum esse pro Superioritate contra exemtionem, utpote quæ facta sit, & legitima indigeat probatione.

XXIII.

V. Argumentum pro stabilienda Primogeniti potestate, ab uxore illustri, utpote a lege subjectionis Territorialis generali nullibi excepta, derivatum.

Denique, pro stabilienda Primogeniti potestate, argumentum derivatur ab uxore illustri, quæ á lege subjectionis Territorialis generali nullibi sit excepta. Enimvero pleriq; existimant, Conjuges illustres, licet alioquin, secundum regulas Juris Naturalis ac Communis, sociæ maritorum censeantur, immo sæpius regiminis publici ac consiliorum participes ob perpetuam vitæ consuetudinem existant, nihilominus jurisdictioni supremæ subjacere, neque ideo eminentiæ maritali aliquid decedere, quam usus Gentium ac sigillatim observantia in Romano-Germanico Imperio recepta, satis corroborarint, & a dubiis immunem reddiderint. Conf. *VITRIARIUS Instit. Jur. Publ. L. III. Tit. 17. §. 10.* ubi dissentientium momenta confutat. Unde concludunt, Apanagiatos eandem jurisdictionem debere agnoscere, præsertim cum eadem ratio, quæ maxime uxores illustres subjiciat, in domicilii constitutione consistens, in illos probe quadret, si quidem in Territorio habitent, & ibi bona possideant, qualis habitatio aut bonorum possessio, Jure Gentium ac Moribus Teutonicis subjectionem progignant, hac indole præditam, ut exceptio, exercitium Jurisdictionis Territorialis interpolans, & immediatum ditioni, ubi reliqui possessores & incolæ deprehenduntur mediati, immiscens, haud facile sit proferenda, stante semper pro regionis Domino conjectura, quæ onus probandi injungat, urgenti exemtionem. Vid. *COCCEIUS Vol. I. Exercit. Curios. L. IV. p. 690. sqq.* ubi ait: *extendi potestatem istam* (territorialem) *ex eodem principio*, (quod scil. incumbat & insideat quasi territorio, ejusque finibus ita concludatur, ut intra terminos nihil

hil inde exceptum, & ad omnes perſonas, ac res illa extenſa ſit) in ipſos Principis cognatos, uti fratres, filios, uxores NB. & matrem quoque ac proinde, *regula* veluti generali poſita, uxorem inter ac fratres Apanagiatos haud diſtinguit, ſed parem utrobique exſerere ſeſe rationem, opinatur. Vid. id. *COCCEIUS in Jurisprud. Publ. C. XXVII. §. 15.* ubi ait: *Primogenitum jurisdictionem in reliquos* (Apanagiatos) *totamque omnino familiam exercere, idque juris Gentium eſſe.*

XXIV.

Primum momentum, pro immedietate Apanagiatorum exponitur, in illuſtri eorundem dignitate ac conditione conſtitutum.

Enarratis hactenus illorum argumentis præſtantioribus, qui pro jurisdictione in Apanagiatos, a Principibus Regentibus uſurpanda, militant, jam quoque ea momenta ſunt recenſenda, quæ iſtos in numero *Immediatorum Imperii Membrorum*, collocandos eſſe, ac coram Judiciis Imperialibus, *in cauſſis quoque civilibus & perſonalibus*, conveniendos, demonſtrare ſatagunt. Præcipuum ferme ab illuſtri Apanagiatorum Principum Comitumve dignitate ac conditione, ipſis connata, repeti ſolet. Inprimis hanc urgent: *NICOLAUS BETSIUS de Pact. Famil. Illuſtr. C. IIX. pag. 436.* atque *SPRINGSFELDIUS de Apanag. C. XI. n. 113. ſqq.* quorum ille hanc in ſententiam diſſerit: *Hæc enim qualitas dignitatis toti familiæ tribuitur, ut, quicunque ex ea naſcantur, illa præditi ſint, daſs ſie alle, die von dem Stamme gebohren werden, des H. Reichs Fürſten und Grafſen ſeyn. Quocirca, ut ait Imperator, l. ille a quo 13. §. 4. ff. ad Trebellianum; Prætorem in Prætorem, vel Conſulem in Conſulem, nullum Imperium habere, ſic ego nego, Ducem Imperii vel Comitem, in Ducem aut Comitem etiam ejusdem Familiæ, vel Filium aut Fratrem* NB. *jurisdictionem* NB. *ullam exercere poſſe.* Quod autem ad *SPRINGSFELDIUM*, qui *BETSIUM* ſequutus eſt, nunc attinet, hic ſententiam ſuam his verbis declarat: *Hodie in Germania, nullo fiduciæ nomine, Poſtgeniti Apanagium tenent, nec Homagium nec Vaſallagium Primogenito Fratri præſtant, nec ei ſubjecti ſunt. Sed eundem Judicem ac Primogenitus habet.* Simili argumento utitur *MYLERUS AB EHRENBACH*

BACH *Cap. XXII. Gamalog.* §. 2. quando liberis etiam Statuum Imperii immediatam sortem & immunitatem, ab omni Illustrium parentum ac Dominorum Territorialium jurisdictione, adsignat: *Quæ illustris*, inquit, *qualitas dignitatis, toti progeniei Ducali attribuitur, sive inhæret; Und hanget allen denen an, die von Fürstlichen Stammen gebohren seynd.* Vid. illustr. LUDOLPH. *de Introd. Jur. Primogenit. P. Spec.* §. *XII. p.m* 98. *sqq.* Vnde apparet, absonum istis & pluribus aliis, qui hanc sententiam propugnant, videri, Apanagiatos subdere velle Dominatui alicui Principis Regentis, jure sanguinis ac nativitatis, immedietatem nulla ratione intervertendam, possidentes, *so unmittelbar gebohren*, atque, ob spem futuræ successionis, omni veneratione, reverentia ac *distinctione* dignissimos.

XXV.

II. pro Apanagiatis argumentum illud est, quod sibi pridem titulos Principum Regentium adscripserint,

Altera vero ratio, quæ libertatem Apanagiatorum adstruat, hinc repetitur, quod Apanagiati pridem titulos Principum Regentium sibi adscripserint, (*) prouti conjiciatur ex JOANNE A LEIDA, Belga, qui L. XXIX. *Hist. c.* 2. memoravit;

(*) Olim Apanagiatos tale quid non adfectasse, memorat EYBENIUS *de Tit. Nob. p.* 13. *sqq.* Vid. GIOVANNI *Germ. Princ. p.* 95. *sqq.* cujus tamen sententiam eatenus non probamus, cum putet, primariis aulæ Ministris apanagiatos hodieque esse posthabendos, ideo, quod olim Comes Regens in itu ac reditu iis fuerit prælatus. Enimvero hæc ratio nil concludit. Comes sane Regens ob characteris superioritatem, primarium Aulæ Ministrum antecedit regulariter. A Comite igitur hujuscemodi, ad primarium Curiæ Officialem hactenus non valet argumentum. Nec sequi videtur: Olim Comes Regens fuit antelatus, ergo Apanagiatus hodieque primario Aulæ Ministro postponi debet. Plane hodierno ævo vix puto, Comitem Regentem amplius præcedere Principi Apanagiato. Si ergo Comite Regente potior existimatur, multo magis talis censendus est, intuitu Ministri Aulici, qui fratri vel agnato Principis sui Apanagiato ob futuræ successionis spem, reverentiam itidem debet exhibere, immo & natalium splendorem, qui nunquam perimitur.

vit: *Guilielmum & Albertum dici Duces in Bavaria, non quod Bavariam possiderent, sed quod sanguine Bavarorum nati essent: Ducatum enim Austriæ & Bavariæ in se comprehendere, ut omnes de stipite eorum prodeuntes, dicantur Duces utriusque.* Quod quidem non idcirco tantum contigisse existimatur, ut succedendi jus isto modo indicaretur, & servaretur, sed hoc itidem fine, ut status immediati, dignitatisque illustris prærogativa declararetur magis, universæ Genti communis. Quapropter, quum hodieque, in plerisque Celsissimis Germaniæ Domibus, iisdem titulis atque insignibus utantur Apanagiati, quibus Principes Regentes, incongruum foret, illos subjectionis cujusdam nota afficere, vel a societate Immediatorum Imperii Membrorum, & privilegiis fori, aliisque egregiis juribus, libertatem Principum Comitumve, conditioni eminentiori consentaneam, conciliantibus, arcere; præsertim, postquam isti Apanagiatorum conatus non impedierint, potius multa indulserint permiserintque, quæ rigorem Primogenituræ institutæ emollire, ac fluctus animorum invidentium, & pristinæ facultatis jacturam mirifice dolentium, vel liberæ & liberalis cessionis renunciationisve pœnitentium consopire paululum viderentur.

XXVI.

III. Argumentum, Apanagiatis favens, eo redit, ut ipsis competat Jus Austregarum.

Tertium, idemque satis prægnans, argumentum a defensoribus immedietatis, & perfectæ Apanagiatorum libertatis, ex Ordinatione Camerali *P. II. Tit. 2. rubr. Wie Chur-Fürsten, Fürsten und Fürstmäßige einander zu Recht forderen sollen*, arcessitur, quippe ubi forum Austregarum ipsis tribuatur, quo solummodo immediata Imperii membra gaudeant, ac cujus usus necessario habitum immediatum commonstret. Conf. *Ord. Camer. P. II. Tit. 5.* Forum autem Austregale, ad Apanagiatos, ex mente Ord. Camer. pertinere, omnes ferme adfirmant, atque id dogmatis in communem sententiam abiit. Vid. SCHUBHARDUS *de Austreg. C. III. n. 93.* & infiniti alii Juris Publici Scriptores, quos citasse nil refert. Immo ipsemet COCCEIUS, qui alioquin jurisdictionem Primogenito vin-

dicat, ut §. præced. commemoratum, idem forum Apanagiatis adscribit, in *Jurisprud. Publ. C. XXXII. §. 34.* unde liqueat, hunc Auctorem in hac quæstione sibi ipsi haud constitisse. Denique HERTIUS itidem *Opuscul. Vol. II. T. 2. p. 3.* opinionem istam, quæ *Ordinationem Camer.* pro Apanagiatis exponit, amplexus; quamvis pro Jure Territoriali & subjectione aliqua Apanagiatorum militet; idem, atque *Ordinationem*, quasi singulare quippiam sanciverit saltem, neque adeo hypothesin de facultate, Primogenito competente, formatam infringere voluerit, interpretetur.

XXVII.

IV. ratio, quæ pro statu Apanagiatorum pugnat, est, quod Primogenitis haud præstent homagium vel aliud juramentum.

Postremo loco hinc itidem Apanagiatorum immediatus status evinci posse censetur, quod ii non soleant homagium, vel juramentum aliud præstare Primogenito, quanquam illud apprime constituat subjectionem, ac præcipuis hanc dijudicandi ac explorandi mediis & characteribus adnumeretur. Vid. SPRINGSFELDIUS *de Apanag. C. XI. n. 113.* Add. STRUV. *in Syntagm. Jur. Publ. C. XXVI §. 8. p. 1317.* Quæ quidem exemtio, insignem libertatem ac prærogativam indicans, perspicue ostendat ingentem differentiam, illustres Apanagiatos futurosque successores ac Landsassios & subditos regionis intercedentem; utpote a quibus ejusmodi sacramenta vi ac jure Territorialis Superioritatis merito exiguntur. Cui accedat, quod ne quidem ad onera præbenda adigi possint Apanagiati, sed Apanagia instar terrarum a collectis immunium, & ad exemplum feudorum Francorum possideant; unde cum Ordinibus regionis perperam comparentur, quæ quidem cuncta usus in regionibus Germaniæ adhuc hodie conspicuus egregie comprobet, demonstrandæ Apanagiatorum immediatæ excelsæque conditioni haud parum inserviens. Conf. BLUMIUS *Process. Camer. Tit. XXX. §. 13.* ubi ait: Apanagiatos Principes Comitesve, ab omni censu, (sive Imperio, sive Territorio exhibendo) immunes dicendos esse. Add. SPRINGSFELDIUS *alleg. C. XI. n. 212.* cujus verba ita sese habent: *Ex Apanagio quo-*

que

que nullæ Collectæ exigi possunt. Cum Collectæ non debeantur ex alimentis; SURDUS *de aliment. tit. 8. q. 92. n. 4.*

XXVIII.

Commemoratis hactenus primariis argumentis, tam jurisdictionem Principum Regentium in Apanagiatos, quam e contraria parte horum libertatem immediatam adstruentibus, jam ad ipsius caussæ definitionem ac disquisitionem propius accedendum est, atque exactius indagandum, quænam sententia regulis Juris Publici, Observantiæ Imperii, itemque *Rationi*, quam adpellant, *Status*, melius conveniat, atque præstantia & gravitate rationum alteram vincat. Principio autem commonendum est, de eo hic minus disceptandum esse, utrum Apanagiati, Domini Territorii forum in actionibus realibus agnoscere debeant? Nam hæc regula usu Juris Publici satis superque firmata est: *omnes, qui in territorio alieno possident bona, licet alioquin immediati sint, immo charactere & dignitate status Imperii corruscent, si intuitu bonorum actione reali conveniantur, forum rei sitæ & territoriale declinare haud posse, neque Judicia Imperii causam inde avocare.* Equidem actori jus eligendi competit, utrum actionem in foro domicilii, an potius rei sitæ instituere velit? Quum autem semel forum rei sitæ prætulerit, ac proin præventio jurisdictionis adsit, ab immediata conditione argumentum a reo frustra depromitur, neque is ad Judicia Imperii juste confugit. Quapropter, cum ante aliquod tempus, quidam Principem Imperii, in Territorio Austriaco fundis quoque instructum, intuitu horum, coram *Consilio Imperiali Aulico* conveniret, Regimen vero Austriacum Vasallagium ac subjectionem realem urgeret, & caussam, ob privilegium inprimis de non-evocando, ad subditos quoque reales proferendum, ad suam jurisdictionem spectare contenderet, *Consilium Imperiale* sese minus immiscuit, sed reum coram Judicio Austriaco & foro rei sitæ aggrediendum esse, judicavit. Sicubi ergo hæc non displicere debeant ipsis Statibus, alioqui ampla territoria gubernantibus, multo minus

Apanagiati in actionibus realibus forum Domini Territorialis omnino agnoscunt.

 displi-

displicere debent Apanagiatis, quorum prædia in territorio Primogeniti sita, ac in Apanagium concessa, a Superioritate & jurisdictione Territoriali neutiquam exemta sunt. Proinde inquirendum nunc saltim erit, an argumentis supra enumeratis Primogenito potestas juris dicundi in actionibus & caussis *personalibus* Apanagiatorum juste & idonee fuerit adserta, vel annon potius ob rationes, ex contraria parte adductas, istis hoc quoque casu, perfecta conditio immediata, forum coram Imperii Dicasteriis attribuens, sit vindicanda?

XXIX.

Respondetur ad I Argumentum, statum immediatum Apanagiatorum in dubium vocans.

Ad primum vero, quod attinet, argumentum, immediatam Apanagiatorum conditionem in dubium vocans, atque *Regulæ*, Potestatem Territorii, nulla Status & dignitatis personarum instituta ratione, ad cunctos, in territorio isto bona possidentes, proferenti, innixum; satis quidem compertum atque exploratum est, istam regulam principiis Juris Gentium congruere, ~~ac usu Juris Publici~~ Teutonici singulariter invaluisse, ita, ut Episcopi quoque in Archi-Ducatu Austriæ, memorabilibus Friderici I. & aliorum Cæsarum privilegiis inveterata & manifesta consuetudine, comprobatis, instar subditorum vere habeantur, neque Principes Silesii, quanquam insignium jurium exercitio sint instructi, a subjectione territoriali exemti sunt, supremam Regis Bohemiæ jurisdictionem in quibuscunque caussis utique agnoscentes, de quo ex proposito egit Frater meus, *FRID. LUD. N. D. DE BERGER*, in peculiari commentatione *de pari vel dispari forma Boëmiæ & Austriæ*; quæ in opusculis ejus miscellis habetur. Nihilominus Regula ista, quo minus variis exceptionibus & limitationibus sit obnoxia, nil prohibere videtur. Sane in multis Germaniæ regionibus, quæ Territoria clausa non constituunt, occurrunt Comites immediati, itemque Civitates, Imperii tantummodo jurisdictionem supremam agnoscentes. Et quis ignorat, insignia Nobilium immediatorum jura, utpote qui, licet bonorum habita ratione, in causis feudalibus atque actionibus

bus

bus realibus, tanquam Vafalli & *reales fubditi* forum domini feudi vel Territorii fruftra declinent, in perfonalibus tamen, *fi Territoria, in quibus omnes Vafalli fubditi funt & Landfasfii, excipias*, jurisdictioni Imperiali immediate fubfunt, atque immediatos Imperii Cives & Membra confpicua merito conftituunt? Quod quidem dogma fententiis *Judicii Imp. Aul.* fæpius fuit confirmatum, atque, ab antiquiffimis jam temporibus, in Germania præfertim fuperiore invaluit, & inter complures alias hac inprimis ratione fuftinetur, quod alioqui conditio immediata omni effectu deftitueretur. Conf. *Coccei. in Jurisprud. Publ. C. XXV. §. 3.* Nonne igitur Principes & Comites Germaniæ Apanagiati eodem jure ac privilegio fruantur, quod diuturna confuetudo, ex fingulari Reipublicæ Teutonicæ forma profecta, Nobilibus & Minifterialibus, aliisque longe inferioris ftatus hominibus pridem adfignavit? Certe quemadmodum generaliter in cunctis quæftionibus, quæ circa *immedietatem* aut *medietatem* (fit verbis venia) proferuntur, norma dijudicandi haud ex præfentis, vel recentioris, fed vetuftioris ævi apparatu ita depromenda eft, ut hodierna inter ac prifca jufta comparatio inftituatur, & ad mutationes, quæ forfitan contigerunt, caute refpiciatur. Hic ergo eodem difcutiendi medio eft utendum, & difquirendum, utrum leges ac mores Teutonici veteres Apanagiatis Illuftribus immediatum ftatum pridem adfcripferint nec ne? Jam in *Speculo Suevico P. I. C. 24.* fatis memorabilis extat locus, qui Principum Germanorum conditioni illuftri atque eminenti indiftincte favere videtur. Habentur ibidem fequentia verba: *Uber der Fürften Leib und über ihr Gefinde foll niemand Richter feyn denn der König.* Sane hæc verba fatis fuperque declarant, tale quid, in favorem omnium Principum Germaniæ, *indiftincte* fuiffe fancitum, & Apanagiatos utique tangere, utpote qui ratione perfonæ Dominis Territoriorum minus, fed Regi feu Imperatori immediate fubjecti cenfeantur. Germanorum fine dubio hæc ratio fuit, quod eximia prorfus *perfonarum dignitas* fit, qua in Imperio

omnibus aliis ejus civibus præfulgeant, quam ex ſanguine Illuſtrium Parentum ab ipſa nativitate conſequantur, quæ ita ipſis inhæreat, ut ſine ipſorum facto tolli nequeat, qua etiam in Imperio, ex antiquiſſima Germaniæ conſuetudine, Statuum jure gaudeant, qualitate plane inſigni & perſonali, quæ non glebæ pretium, ſed Principis præmium eſſe dicitur. Conf. *MYLERUS AB EHRENBACH de Princip. & Stat. Imp. C. II. §. 9.* Igitur nullam hactenus video rationem, cur Principes Regentes in Fratres Apanagiatos, qui dignitatem ſuam, ſtatumque immedietatis, tam ab ipſis Natalibus, quam a Cæſare, fonte & ſcaturigine, unde omnes dignitates ac prærogativæ membris Imperii concedendæ, dimanant, ſunt adepti, immo in pari cum iisdem dignitatis gradu conſtituti, jurisdictionem omnimodam, exercere valeant. Audiamus in hanc rem *NIC. BETSIUM, de Pact. Famil. Illuſtr.* qui *p. 437.* in hanc ſententiam egregie diſſerit: „ Non obſtat, quod pater jurisdictionem „ exerceat, filius, non quia filius, non minus quam pater, ejusdem jurisdictionis capax eſt, & ſpe eam quodammodo poſſidet, immo etiam ſæpe, cum ad juſtam ætatem pervenerit, „ indulgentia paterna, vel ſolus, vel cum parente ſuperſtite „ eam adminiſtrat, & ſi propter defectum hunc jurisdictionis „ in ſubditos inferior eſſet patre, vel ut iſti volunt, ſubditus „ ejus, ſequeretur, Fratres Comitum, qui voluntarie jurisdictioni & juri ſuo renunciant, non ſolum Fratribus, quorum favore renunciarunt, dignitate inferiores eſſe, ſed etiam, „ quamdiu in eodem Comitatu vel Ducatu commorantur, ſubditos. Quod, quam ſit abſurdum, non ſolum ipſa ratio, ſed „ etiam uſus, experientia & ſenſus communis, adeo evidenter „ evincit, ut in eo probando diutius laborare nihil aliud ſit, „ quam ſolem facibus illuſtrare. Cum enim Familiam Ducum aut Comitum dicimus corpus, ſignificamus, in quo non „ præeminet alicujus poteſtas, quoad jura Familiæ, ſed communi omnes jure utuntur, ut agnati inter ſe, arg. l. 195. §. familia & ibi Alciat. n. 2. ff. de verb. ſignif. Confirmantur hactenus dicta adhuc magis per Conſtit. *FRIDERICI II. IMP.* quæ

quæ hæc præcipit: *Wo es aber Fürsten und anderen hohen Leuten, an ihr Leib, an ihr Ehr oder Recht gehet*, das wollen wir selber richten, *auf die Weise, wie es in dem Kaiserl. Reich von alten Zeiten herkommen.* Consonat huic Constitutio ALBERTI I. vi cujus id obtinet: *Dass des Reichs Hof habe einen Richter, der ein Freymann sey, und die Leute richten soll, die ihme klagen von allen Leuten*, ohne Fürsten und andere hohe Leute, wo es gehet an ihr Leib oder an ihr Ehr. In his itaque Constitutionibus id expresse sancitum esse, ne, quisquis sit, jurisdictionem in Principis Imperii *personam* sibi adroget, quippe quam Imperator soli sibi vindicaverit, quilibet perspicit. Item facile apparet, allegatas Constitutiones omnes Principes *in genere* innuere, adeoque & Principes Apanagiatos, cum nullibi expresse excepti reperiantur. Verba enim: *Fürsten und andere hohe Leute*, quomodo ad Principes Regentes solummodo applicari possint, plane non video. Ac, si per voc. *Fürsten* eos intelligi, objicias, tamen haud negabis, Principes Apanagiatos altero vocabulo comprehendi: *und andere hohe Leute.* Sic & nemo facile ambiget, eadem verba Comites quoque ac Cives Imperii immediatos tangere, Principibus Apanagiatis absque dubio longe inferiores.

XXX.

Removetur distinctio, quæ docet, aliud obtinere, si Apanagiatus in terris Imperii, aliud, si in territorio Principis Regentis delinquat.

Non possumus non vulgarem illam distinctionem hoc loco removere, quando ajunt, distinguendos esse casus, aliud obtinere, si Princeps Apanagiatus in terris Imperii, aliud si in Territorio ad Principem Regentem spectante delinquat. Minus enim dubii habet, quod, Apanagiatis in terris Imperii delinquentibus, *Consilium Imperiale Aulicum* jurisdictionem recte sibi vindicet, prout exemplum Principis cujusdam juventutis docet, qui cursorem publicum occiderat, in quem sententia ante aliquot annos a *Judicio Aulico* fuit lata. Ad scopum vero nostrum ut propius accedamus, duo momenta vulgari illi opinioni oppono. 1.) Communis quidem atque per-

vulga-

vulgata est opinio, coram *Domino*, *in cujus territorio* Principes deliquerunt, eos sortiri forum, etiamsi delinquens in majori forte sit constitutus dignitate, quam Territorii Dominus, ut multi Dd. argum. *l. 3. ff. de offic. præsid.* evincere audent, & inprimis *BESOLDUS lib. I. Politic. C. II. n. 28. p. 399. & seqq.* At enimvero ut taceam, quod inepte ad LL. Romanas hoc in casu provocent, eorum sententia non solum Constitutionibus Imperii, partim supra a nobis citatis, e diametro contradicit, sed etiam periculi plena est, ut optime censet *NORDERMANNUS in Dissert. de jur. Principat. Concl. 49. lit. 6.* Quid enim, si Princeps delinquat in alterius territorio, *contra ipsum Territorii dominum* an simul actor & Judex esse hic poterit? Quid item si Princeps in Nobilis alicujus immediati vico delinqueret, in eoque Nobilis merum obtineret imperium, annon *Nobilis* in Principem jurisdictionem exercere poterit? Quilibet itaque perspicit, Imperatori potius competere, causas tales dirimendi, facultatem. a.) Illustratur antea commemoratum sequenti exemplo. Controversia scilicet haud ita pridem suborta est, an Comites Imperii, in Principis cujusdam Territorio delinquentes, in captivitatem duci, atqui in eosdem ex foro delicti jurisdictio queat exerceri, ac Rege Borussiæ in Comitem Ranzovium jurisdictionem sibi adrogante, Cæsar contra factum hoc fuit protestatus; *Sibi soli, in Imperii immediatos, jurisdictionem reservans:* Extant Acta hac de re in *ELECT. JUR. PUBL. Tom. IX. pag. 651.* & *FABRI Staats-Cantzeley Tom. XXVIII. p. 389.* Cum itaque ne quidem Status Imperii, cujuscunque etiam sit ordinis & dignitatis, in Cives Imperii immediatos jurisdictionem adsciscere sibi queat: Sic sane nec Princeps Regens in Fratris Apanagiati, in pari cum eodem dignitatis gradu constituti, *personam* jurisdictionem sibi vindicare poterit.

XXXI.

An Consilium Imperiale Au- Haud igitur ab instituto alienum erit, si in sequentem sat arduam quæstionem paulisper inquiramus; nempe: *An Impe-*

Imperii immediatus scilicet Eques Sueviæ seu Franconiæ (*) *immediatus, in Territorio status cujusdam Imperii, qui inprimis privilegio de non-appellando, illimitate gaudet, delinquens, ac in eodem deprehensus, susceptæ ejusdem loci inquisitioni* incompetentiam Fori *opponere, ad Consilium Imperiale Aulicum convolare, ac itidem,* Commissionem *quandam ad inquirendum efflagitare possit.* Ut vero ad liquidum veritas explorata appareat, expedit omnino, argumenta, quæ pro negativa militant sententia, quam brevissimis hic exponere. I.) Depromitur a circumstantia delicti, tam deprehensionis, & quidem cujuslibet *in specie*, quæ facit ad fundandam loci jurisdictionem, in quem finem provocant ad *l. 3. π. de offic. præsid. l. 7. §. 4. l. ult. de accus. l. 11. d. custod. reorum l. 1. & sqq.* AUTH. *C. ubi de crim. c. ult. X. de for. comp.* Ut &, quod ad circumstantiam delicti attinet, nullum discrimen faciendum esse putant,

licum in Nobilem Imperii immediatum in Territorio Status cujusdam delinquentem jurisdictionem exercere possit? quæritur.

Argumenta, pro negativa facientia exhibentur.

I.) a circumstantia delicti.

E

(*) Optime notandum est, nos ea, quæ de hac materia in medium adducemus, de equitibus Sueviæ & Franconiæ immediatis intelligere velle. Nemo enim in dubium vocaverit, quod, postquam Conradinus, Suevicæ Dynastiæ ultimus, a Carolo Andegavensi victus, & a. 1269. capite plexus fuerit, Sveviæ Ducatus, una cum Equestri Ordine, ad Imperium pervenerit, & præter Imperatorem, adhuc nullum alium agnoscat Dominum. vid. BESOLDUM *Discurs. de Equestr. Ord.* Plane eadem occasione Franconicam Nobilitatem, nempe post Franconiæ Ducum interitum, Imperio cessisse, credibile est. Tractus tandem Rhenanus, præter Sveviæ Duces, nullos alios certos Dominos agnovisse videtur. Quod autem in *Saxonia, Bavaria, Hassia, Westphalia, & alibi Landsassiatus vigeat*, hoc inde est, quod Saxonia, Bavaria &c. aliæque Provinciæ a CAROLO M. subactæ, in formam Provinciæ redactæ, nec Imperio incorporatæ, prout factum cum Provinciis Rhenanis, Svevia itidem & Franconia, SPRENGERUS *de Jurispr. Publ. p. 184. 185.* Postea Saxoniæ, Bavariæ, similesque Duces, cum territorio districtuque ab Imperatoribus investiti fuerunt, plane nulla sibi in Nobiles reservata potestate. Atque hinc Nobilium Ordo Principibus istis immediate subjectus fuit. Vid. LUDOLPH HUGO *de Stat. Reg. Germ. c. 1. §. 8.*

putant, num delictum sit inchoatum, vel consummatum, per *dict. l. 1. C. ubi de crim.* Si itaque in tali casu circumstantiæ delicti & deprehensionis concurrunt, forum quoque tale erit legitimum, inprimis cum sequentes quoque accedant rationes. Quod α) expediat, exempla publicæ vindictæ eo edi potissimum loco, ubi crimen admissum; *c. 2. q. 1.* quo alii deterreantur, & illi, quibus injuria facta est, injuriæ quoddam solatium nanciscantur; *l. 28. §. 15. de pœn.* β) Conveniat, Judicem, cujus jurisdictio delinquendo violata est, habere satisfactionem & vindictam; *l. 1. A. tit. d. jud. tb. 232.* γ) expeditior sit probatio in loco delicti commissi, arg. *l 2. C. ubi de ratioc. n. 69. c. 1. §. 1.* Conf. *THOM. MICHAEL. Concl. 90.* ubi *ex c. 2. si peccaverit qu. 1. vers. nos non prodimus l. 28. §. 15. de pœn.* plures rationes refert.

II) est, quod reatus omne privilegium excludat.

II.) Est: Reatus omne privilegium excludere, *per l. 3. de re milit. l. 1. C. ubi Senat.* III.) denique alicujus momenti esse videtur, nempe privilegium tale de non-appellando, & quidem illimitatum, Statibus Imperii competens, non admittere, ut illi, qui in Territoriis horum deliquerunt, jurisdictioni, ipsis legitime competenti, sese surripere possint, præsertim cum vel tacite & ipso facto, tamdiu ibidem domicilium constituant, sese quoque ejus loci jurisdictioni sine discrimine, ita & in criminalibus, subiicere intelligantur: per *l. 1. pr. l. 4. d. O. & Act.* Sed hæc argumenta a parte contraria prolata animum haud flectunt, nec obstant, quo minus affirmativæ sententiæ accedamus, quæ sequentibus corroboratur argumentis.

III) privilegium de non-appellando illimitatum, jurisdictionem Cæsaream hoc in casu excludere.

XXXII.

Argumenta pro affirmativa sententia pugnantia exponuntur. Imum Argumentum ductum a minori ad majus. Concluditur nempe a personis illustribus, jure Civili, ad

Primum Argumentum, idemque ductum a *minori* ad majus. Jure Civili personæ illustres & spectabiles, hoc quidem privilegio gaudebant, ut, quamvis in Provinciis deliquissent, non ad præfectum Prætorio, vel ad Præfectum urbi, sed ad ipsum Principem, ejusdemque Consistorium fuerint remittendi, vid. *l. 3 §. 2. & 3. C. ubi Senat. l. 16. C. de dignit. Donell. 17. Comm. 20. p. 88. Vultei. ad l. 1. C. d. t. n. 27.* Quanto potius itaque illud privilegium, quod alias Magistratibus, quibus solum-

lummodo jurisdictio administratoria competebat, conceditur; iis, qui jure Territoriali, sive tantummodo analogo ejusdem, gaudent, erit adscribendum? Itaque & hac ratione, præsertim cum *VULTEIUS cit. n. 27.* ipse claram jurium Imperialium Constitutionem cognitam perspectamque habuerit, non apparet, cur ille ipse seq. *n. 48.* jam in medium adductam argumentationem a minori ad majus neglexerit, ac potius de immediatis Imperii, extra territorium delinquentibus, secus judicaverit, quod nempe foro delicti aut deprehensionis essent subjecti. Accedit, quod varii Juris Publici Scriptores utique affirment, Nobilibus Imperii immediatis, ejusmodi potestatem Territorialem, præsertim intuitu privilegii, quod Imperator, g. m. *RUDOLPHUS II.* die 9. Jul. a. 1605. ipsis clementissime est impertitus, item ut vocant, *des erneuerten Ritter-Raths, Fränckischen Creyss-Ordnungen part. 1. tit. 6. verb. Oberherrlich- und Gerechtigkeiten, gebühre, dafürhalten insonderheit;* competere. Hi vero inprimis sunt *SCHUTZIUS Jur. Publ. V. I. Exerc. 6. th. 10. lit. F. G. H. GAILIUS I. O. 62. §. 3. SPRENGERUS Jur. Publ. p. 322. BURGOLDENSIS ad Instrum. Pac. p. 1. disc. 22. REINKINGIUS d. R. S. & E. lib. 1. c. 1. l. 5. c. 2. §. 55. FRITSCHIUS Diss. d. jur. & privileg. nob. immediat. th. 10.* Quæ quoque opinio, si dicta Superioritas Territorialis, in *latiori sensu*, accipiatur, secundum *KULPISII* ad *MONZAMBANUM c. 2. §. 14. p. 594.* sententiam, utique defendi potest. II) Egregie hæc comprobat *RECESS. IMP.* de A. 1594. §. *ebener massen 68.* ubi rite solliciteque perspecto contextu, sancitur, quod cognitio supra delictum in alieno Territorio, ab Imperii immediato perpetratum, *CONSILIO IMPERIALI AULICO* competat, uti testatur *UFFENBACHIUS de Consilio Cæsareo Imperiali Aulico cap. X. p. 88.* Quinimo caussæ criminales, excepto crimine fractæ pacis publicæ, secundum Imperatoris, *FRIDERICI II. Constit. c. 3. v. 100. es aber gebet* &c. it. Imperatoris *RUDOLPHI II. Decret. d. 14. Sept. 1600.* solummodo ac privative, *CONSILIO IMPERIALI AULICO* adscriptæ, exclusa Camera Imperiali. III) Optime notandum,

ipsum Principem remittendis, ad Nobiles immediatos.

II) Juvat sententiam RECESS. IMP. d. a. 1594. §. ebener massen 68.

III) Quia competit Civibus im-

perii immediatis Jus Austregarum. Civibus Imperii immediatis, *Jus* quoque *Austregarum*, ex speciali lege competere, uti bene animadvertit *BLUMIUS* in *Proc. Camer. tit. 27. §. 22. & 40. sqq.* Et, quanquam varii Doctores autumant, illud jus in caussis criminalibus exulare, inter quos præcipue referas *SCHUBHARDUM de Austreg. c. 5. n. 8. seqq. SCHUTZIUM Colleg. Publ. v. 2. Exerc. 3. th. 12. lit. D.* Attamen multi gravissimi, doctrinaque ornatissimi JCti, nempe *ZIEGLERUS*, *HER. MINDANUS*, *UMMIUS*, *STEPHANI* apud cit. *SCHÜTZIUM dict. loc.* simul cum *LIMNAEO*, *Jur. Publ. lib. IX. c. 5. n. 63. sqq.* dissentiunt; quorum sententiæ etiam *ORD. CAMER.* inprimis favet, *part. 2. tit. 2.* ibi: *Spruch und Forderung* & *l. 4. pr. jun. l. 20. d. accusat. l. 5. pr. C. d. jurisdict.* Ubi inprimis in *ORD. CAMER.* dict. *tit. 2. §. Darauf.* appellatio a judicio Austregarum ad Cameram Imperialem in iis caussis conceditur, in quibus alias *ORDINATIO CAMERALIS* talem appellationem admittit. Inde itaque necessario sequitur, Austregas quoque in iis caussis cognoscere posse, in quibus appellatio exulat, inter quas vero caussæ criminales omnino sunt collocandæ. Sicuti etiam Constitutiones Imperii de Austregis, eorundemque cognitione, generaliter & in forma largiori, ac illa ab dissentientibus opposita, *l. 1. d. offic. ejus, cui mandat. est jurisdict.* de concessione non Principis, sed *Magistratus*, etiam non de data, sed *mandata* jurisdictione, conceptæ sunt, ita hæc lex ad præsentem casum non pertinet, ceterisque quoque dubiis, præsertim a *LIMNAEO* scite fuit satisfactum; Inprimis, cum cit. *SCHUBHARDUS de Austreg.* ipsemet censeat, judicium Austregarum, in iis caussis criminalibus, quæ pœnam corporis afflictivam haud concernunt, utique locum habere. Qua ratione habita, *CONSILIO IMPERIALI AULICO* nulla ex parte facultas illa eo collineans denegari poterit, ut Commissionem quandam ab ipso reo efflagitatam decernat, atque jus cognoscendi immediatum sibi, secundum priorem sententiam, proprium, defendat.

IV) Doctores sententiæ nostræ qui accedunt, recensentur. IV) Si quando illud momentum jam in medium adductum, utpote dubium, haut ullo penitus fundamento destitutum, seponere velint,

velint, tamen hæc affirmativa: *immediate Imperio subjectos, eosque criminum reos, non in loco, quo deliquerunt, aut deprehenduntur, sed coram Imperatore tantum conveniendos esse*; ab una parte ex rationibus sat prægnantibus, a multis eruditissimis JCtis, præcipue *HEIGIO l. q. q. n. 42. HILLIGERO* ad *DONELLUM l. XVII. c. 20. lit. g. STEPHANI de jurisdict. p. 2. c. 2. n. 81. UMMIO proc. Jud. Disp. 4. n. 9. BRUNNEMANNO in l. 1. C. ubi senat. n. 11. LERCHIO de Ord. Equestr. p. 1. n. 93. & p. 2. n. 108. sqq.* & *MYLERO AB EHRENBACH de Princip. & Stat. Imp. part. 1. c. 20. §. 35.* Sed ab his ultimis tantum, in casu homicidii, quale crimen ordinarie pœnam capitalem concernit, defenditur, ex altera parte ab *ANDLERO* in *Jurisprudentia lib. IV. I. tit. 10. n. 24.* & noviss. edit. in fol. *lib. II. tit. 5. n. 24. p. 346.* (in qua tamen editione plura de hac materia, quam in priori frustra quæruntur) confirmatur cum præjudicio *CONSILII IMPERIALIS AULICI*, utpote d. 14. Sept. 1600. & quidem hisce verbis, roboris sane plenis: *Dievveil die freye Reichs von Adel in Civil und Criminal-Fällen, niemand in der Welt, als einem Römischen Kayser zu judiciren zukomme.* item de die 10. Febr. 1668. ubi in specie quæstio (de qua jam jam differimus) nempe, si immediatus Imperii in alieno Territorio delinquat contra Statum quendam Imperii ejus Territorii, pro Imperatore decisa, ac eodem modo Conclusum fuit conceptum. Ac probe hic omnino notandum, quod jurisdictio criminalis, qua Status Imperii investiuntur, subditos eorundem solummodo & mediatos, nulla vero ex parte, alios immediatos, in præjudicium Summi Judicii, quod hi recognoscunt, concernere videatur, quare & præjudiciis contrariis, sine dubio, superflua, quæ pro nostra militant sententia, opponi possunt. Accedunt vero potiora adhuc momenta, quæ sequuntur. Deducitur vero 1) a *Clericis*, qui vigore Juris Canonici, ut inter omnes constat, in caussis criminalibus, sine Ordinarii sui consensu, a Domino Territorii, supplicio affici haud possunt. Quare & de *Alia adhuc momenta exponuntur, Deducitur 1) a Clericis.*

 Nobi-

2) a *Ministerialibus.* Nobilibus immediatis idem judicium est ferendum. 2) A *Ministerialibus* Imperatoris & Imperii, qui ab alio Statu Imperii coerceri nequeunt, Nobiles vero immediati, pro ejusmodi Ministerialibus omnino sint habendi; Conf. *LERCHIUS d. Ord. Equestr. part. 2. n. 108. vers. Es kann auch, in fin. fol. 207.*

3) a *Militibus.* 3) a Militibus in transitu delinquentibus, qui in loco, ubi deliquerunt, puniri non possunt, sed ad Magistratum Militum sunt remittendi. tit. C. *d. Magistr. Milit. l. 1. C. de exhib. reor. l. 6. C. de jurisdict.* Siquidem Nobiles immediati pro militibus Imperatoris habentur, arg. *l. 2. C. de domest. & protect. GAILIUS 2. O. 127. n. 9.*

4) a *privilegio Caroli M. Equestri Ordini concesso.* 4) a Privilegio Caroli M. in Comitiis Paderbornensibus anno 777. Equestri Ordini concesso, apud *GOLDASTUM Constit. Imp. tom. 3. fol. 120.* & *PHILIPPUM KNIPSCHILDIUM de nobilitate, l. 1. c. 3. n. 78.* ubi dictus imperator sibi & suis Successoribus, jurisdictionem criminalem in Ordinem Equestrem *expresse & in æternum* vindicat. Ac illud privilegium, & post illud tempus, quo Nobiles immediati ipsi jus Territoriale & hereditarium sunt adepti; secus, quam

Notatur KNIPSCHILDIUS *KNIPSCHILDIUS l. III. c. 23. n. 77.* de eo judicat, vigorem suum atque effectum omnino retinet. Quæ argumenta alleg. *KNIPSCHILDIUS de Nobilit. cit. l. 3. c. 23. n. 44.* prolixe recenset. Et quanquam hic ibid. *n. 57. sqq.* negativam amplexus fuerit sententiam, attamen omnia, ad probandam illam in medium adducta argumenta, ex Jure Romano & Canonico sunt depromta, quæ jura vero solummodo de iis, qui jurisdictione administratoria gaudebant, concepta, adeoque ad præsentem Imperii statum, vi cujus Status, & immediati majus jus sunt consecuti, perperam applicantur. Siquidem animadvertere licet, DD. plerumque in eo aperte & frequenter hallucinari, ut statum rei Romanæ, qui olim, & adhuc tempore post Carolingorum floruit, cum illo, qui postea enatus, inepte confundant, ac LL. Romanas, quæ Statum pure & absolute Monarchicum, præsupponunt, ad tempora, quibus Jus Territoriale, Statibus Imperii, ceterisque immediatis, tributum, referant. Qua ratione habita, fusa quadam responsione [quippe

quæ

quæ unicum tantum, etiam antea prolatum concernit momentum] ad argumenta, pro negativa a *KNIPSCHILDIO* adducta, eaq; quæ pro destructione rationum, affirmativam sententiam, concomitantium prolixe profert, commode vacare possumus. Inprimis, cum quidem n. 71. ad praxin quotidianam provocet, eandem vero nondum probaverit; sicuti & n. 81. quod ad pœnam capitalem attinet, cognitionem supra illam & executionem ipsam, ex rationibus prægnantibus commotus, haud ratam habuerit; denique *n. 83.* jun. *n. 89.* varios recenseat Dd. qui autumant, magistratum loci, contra Nobilem immediatum, ibidem delinquentem, absque præcedente notificatione S. Cæsareæ Majestati facta, processum criminalem suscipere haud posse, itemque Imperatori jurisdictionem in Status Imperii, alieno in territorio delinquentes, utique competere. V.) Illud, Statui Imperii alias competens & supra pro negativa *n. 3.* adductum privilegium de non-appellando, mea quidem sententia eo non extendendum esse videtur, ut illi, in territorio ejusdem per aliquod tempus commorantes immediati, quanquam ibidem deliquerint, evocari haud possint. Probe etenim in mentem revocandum est, quod hac ratione, illo secundum Constitutiones Imperii, tertio competente jure immedietatis, privari neutiquam, aut hoc aliqua ex parte imminui possit; præsertim, cum hæc ipsa in Jure Civili, vi adductæ *leg. 3. §. 2. & 3. C. ubi Senat.* sint fundata. Accedit, quod, uti *ACCURSIUS*, cæterique Dd. ad *AUTH. qua in provincia C. ubi de criminibus* annotarunt, privilegia Corpori Juris inserta, per crimina non amittantur, exceptis militibus & clarissimis. VI.) Quæ *num. 1. & 2.* supra, pro negativa fuere prolata, de iis temporibus, quibus superioritas Territorialis, simul cum patrimoniali jurisdictione, parum adhuc nota fuit, sunt interpretanda; itaque, ad tempora præsentia, quibus status rei Romanæ hac in parte est mutatus, ac Statibus reliquisque immediatis plus juris quam olim nudis Administratoribus impertitum, plane haud proferenda. LL. Romanæ, quæ de foro delicti agunt, præsupponunt omnes administratoriam juris-

V.) Privilegium, quod Statui Imperii competit, de non-appellando illimitatum, nimis extendendum haud esse, statuitur.

VI.) Argumenta supra n. 1. & 2. pro negativa adducta removentur.

jurisdictionem, cum e contrario status jurisdictionis in Imperio Romano sit mutatus; ac tempore *LUDOVICI I.* a. 860. pace Confluentana sive pactione art. 10. apud *SCHILTERUM* Instit. *Jur. Publ. p. 44. & 409.* Duces & Comites, sicuti Cives & Status, personali, vero & administratorio jure ad Concilia Imperii sint vocati, postea vero, cum mascula *LUDOVICI* stirps, anno 912. fuerit extincta, Reges etiam Post-Carolingici, & quidem *CONRADUS*, ejusque Successor, *HEINRICUS AUCEPS*, per *electionem* Statuum Imperii, fastigium Imperiale conscenderint, jam dicti Status Imperii Jus *Territoriale* sunt consecuti. Quare omnino non apparet, qua ratione alleg. LL. Romanæ, secundum regulas bonæ interpretationis, insimul & diversitas jurisdictionis unicuique pateat, ad Status Imperii, aliosque immediatos, qui omnes jure Territoriali & hereditario gaudent, passive, ac hoc quidem modo, ut hi in loco delicti aut deprehensionis, cum amissione fori immediati, ad forum Domini Territorialis essent adstricti, applicari, specie quadam juris queant; Inprimis, quoniam ipso Jure Romano, (sicuti jam antea observavimus,) certi Magistratus majoris ordinis, saltim administratoria solummodo præditi, a foro communi in caussis criminalibus erant exemti, Nobiles vero immediati his omnino æquiparandi. Quemadmodum etiam exinde, quod hodierna Statuum Imperii jurisdictio, *active*, Territorialis, patrimonialis & hereditaria sit, iis, quidem plus juris, *in puncto remissionis delinquentium ad forum delicti*, ac hoc non, ut de Jure Romano, per *l. 7. §. ult. de accusat. l. 7. de custod. reor. Novell. 134. c. 5. l. 28. §. 15. de pœn.* necessitatis, sed urbanitatis; nulla vero ex parte, contra ipsos quoque Imperii immediatos, competat, ita ut cognitio supra delictum, contra eos denunciatum, Cæsari auferri, e contrario Statui Imperii, in cujus Territorio reus deliquerit, sive deprehensus fuerit, in sui, ac reo ordinarie competentis fori privilegiati, ingens præjudicium, cedi in totum queat. Accedit, quod ipsi Status Imperii, illud in Territorio suo constitutum domicilium rei tam firmum tutumque reddant, ut, (quomodo

modo paullo antea annotavimus) ad remiſſionem rei, ad locum delicti, adſtricti eſſe nolint. Qua ratione habita, forum immediatum domicilii, quod Statibus & civibus Imperii immediatis competit, eo minus, ad inferiorem Statum redigendum erit, neque concedendum, ut tali modo, Cæſari, atque communi Statuum corpori, de jure ſuo quicquam derogetur. Exempla, quæ apud *BECKERUM de Jur. Publ. c. 4. §. 17. fol. 153.* de *CONRADINO*, Sveviæ Duce, & *MARIA*, Scotiæ Regina, quorum ille Neapoleos, hæc vero in Anglia, utpote loco delicti, ultimo ſupplicio affecti, ſunt plane peregrina, & ad Statum Imperii Romano Germanici applicari haud poſſunt, præſertim, cum hac in parte, quemadmodum in reliquis caſibus, non quid exempla ſuadeant, ſed quid leges jubeant, probe examinandum ſit, ex iisque æquum judicium petendum. Etenim, licet contraria ſententia alibi in praxin deducta ſit, exinde tamen ad jus haud deſumitur collectio, cum non quod fit, ſed, quod fieri debeat, inſpiciendum; *l. ſed licet 12. de Offic. Præſid.* nec exemplis ſed legibus judicandum, *l. nemo Judex 13. C. d. ſentent.* forma quoque, ab Imperatoribus conſtituta obſervanda, quanquam forte aliter celebretur. *§. f. J. de ſatisdat.* Principes & Status civeſque Imperii immediati Superiorem habent, ad quem ab eis recurſus juſtitiæ dirigi poteſt & debet, quod de aliis, qui Superiorem non recognoſcunt, forſan non æque dicendum, vel iis accommodari poteſt. VII.) Bene animadvertendum eſt, jure Ord. Equeſtr. immediat. in omnibus Capitulationibus Cæſareis fuiſſe confirmata. Cum e contrario, ſi quando Status Imperii, qui privilegio de non-appellando gaudet, contra immediatum, ex capite delicti & deprehenſionis inquiſitionis Proceſſum inſtituere velit, tali ratione, illud reo alias in caſu Commiſſionis Auſtregalis ſive Aulicæ, ſuper nullitate Proceſſus, competens remedium appellationis ipſi auferatur, ac eo ipſo, per interpolationem hujus appellationis, S. Cæſareæ Majeſtati, inſigne præjudicium non niſi inferri poſſit. VIII.) Denique nemo facile in dubiam vocarit, nega-

VII.) Quod jura Ord. Equeſtr. immediat. in omnibus Capit. Cæſari fuerint confirmata, animadvertitur.

VIII.) negativa ſententia, ipſis

Statibus insigne præjudicium infert.

negativam sententiam, & ipsis Statibus, privilegiis ejusmodi stipatis, præjudicium haud leve inferre posse, si rite quis pensitet, quod hi vel eorundem filii, in alieno forsitan Territorio delinquentes, eandem ejus loci susceptam inquisitionem, *ex paritate rationis*, admittere deberent.

XXXIII.

His itaque in medium adductis, quæ ante aliquot annos, judicato *CONSILII IMPERIALIS AULICI* corroborata ac confirmata fuisse, meminimus, neminem fore, censeo, qui absonum atque incongruum esse existimaverit, si ex iis a *minori* ad majus argumentum ducamus: Quando Nobiles Imperii immediati, in quibuscunque etiam delictis, judicem Imperatorem recognoscunt, & habent, qui tamen Principibus Imperii, tam quoad dignitatem & splendorem Natalium, quam etiam προεδρίαν longe posthabentur: consequitur, Principes Apanagiatos, qui dignitate prorsus insigni, ac alii Imperii Principes, ex antiquissima Principum majorum prosapia oriundi, coruscant, adeoque neminem præter Cæsarem superiorem salutare valent, eo potius, Cæsareæ tantummodo jurisdictioni, in quibuscunque etiam delictis, subjectos, censendos esse: Quilibet sane, qui, præter JCtos, quos citavimus, argumenta nostra rite sollicitequeinvestigare gestit: facili, spero, negotio animadvertere poterit, opinionem nostram rationibus ficulneis haud esse subnixam, potius stabili suo firmoque gaudere fundamento, neque per dissentientium objectiones labefactari. Ceterum his merito addo insignem locum Perillustr. L. B. de *LYNCKER*, in Tract. *d. Libert. Stat. Imp. p. 41.* obvium, qui ita habet: *Judicem sortiuntur Principes & Comites Imperii, si delinquant, ubicunque fuerint, non nisi Cæsarem.*

XXXIV.

II.) momentum, quod pro Primogeniti jurisdictione facit, investigatur.

Progredimur vero ad alterum momentum, pro evincenda Principis Regentis in Fratrem Apanagiatum jurisdictione, supra in medium adductum. Tale vero est, quod exploratæ

ratæ utique ſit veritatis, eundem, qui Statu Imperii immediato gaudere velit, vel Status qualitate præditum eſſe debere, vel Territorii immediati poſſeſſione inſtructum. Principes vero Apanagiati, cum nec ſtatus Imperii dici queant, nec territorii immediati poſſeſſione gaudeant, vel ideo Principum Regentium jurisdictioni omnimodæ obnoxios eſſe arbitrantur. Cognitum quidem habeo, DD. vulgo, in hac vel illa parte in contrarias abire ſententias. Verum enim vero, ut relictis variis iſtis inter ſe diſcrepantibus opinionibus, æquitati ac LL. Imperii conſentaneam pronunciemus ſententiam; neceſſe erit, breviſſimis hic exponere, quid opinemur. Itaque, quod ad primam partem oppoſiti argumenti attinet; utique cenſeo, Apanagiatis, Status Imperii qualitatem, nulla ſpecie veritatis vindicari poſſe. *Apanagiatos Status Imperii non eſſe, aſſeritur.* Cum etenim immediatum ac regale Imperii feudum haud poſſideant, ac proprius perpetuusque Statuum Imperii character, veraque nota abſolvatur jure proprio Comitiorum Imperii, non video, quomodo Status qualitate gaudere queant; ac hæc conſtans DD. eſt ſententia; vid. *BESOLDUS, lib. 1. Diſſert. Nomicopol. VI. Th. 6.* Licet igitur per ſucceſſionem deferatur Status qualitas, non tamen omnes heredes hanc qualitatem adquirunt, eo, quod iſta Territorio ſit nexa. Quod ſi enim Primogenituræ jus introductum eſt, ſolus inter Status Imperii recipitur primogenitus. Hoc vero non introducto, vel indiviſim atque in communi terras tenent, vel easdem inter ſe dividunt. Quod ſi indiviſim atque in communi terras teneant, omnes pro unico Statu ſaltim reputantur, ideoque unicum ſaltim ſuffragium in Comitiis ferunt. Quod ſi vero terras inter ſe dividant, ita ut quilibet de portione ſua ſpeciatim ab Imperatore inveſtiatur, tunc ſpecialem quoque qualitatem Status adipiſcitur. Exemplum occurrit in Domo Saxonica. Dum enim poſt mortem Jo. Friderici Electoris filii ipſius commune regimen gererent, unicum tantummodo in Comitiis Auguſtanis de a. 1555. ſuffragium habuerunt. Poſtquam autem de terris diviſim fuiſſent inveſtiti, in Comitiis Ratisbonenſibus de a. 1566. ſpeciatim inter Status memorantur Jo. Guiliel-

mus & Jo. Fridericus, usque dum per ulteriores divisiones, Duces Vinarienses, Isenacenses, Gothani, Altenburgenses & Coburgenses in Statuum numerum reciperentur. Eadem exempla videmus in Celsissima Domo Hassiaca, ut & Brunsvico-Luneburgensi, Brandenburgica, Megapolitana & reliquis. Secus est, si divisis licet terris, investituræ jura sint communia, tunc is, cui potiora sunt, in regimine Statuum jura exercet, communicato tamen cum reliquis consilio, prout pactis fuit definitum. Exemplum est in Domo Saxonica Lineæ Vinariensis & Gothanæ. Ac id quoque obtinet inter Comites Ost-Frisiæ, prouti apparet ex Decreto Cæsareo d. 10. Febr. a. 1589. lato; in verb. *in Beschickung, der Reichs-und Crayss-Täge, soll von Graff Edzarden, als dem Elteren Bruderen, iedoch in beyder Graffen Nahmen, und auf vorgehende Brüderliche Communication beschehen.* Apparet insimul ex his, interdum Lineas totius Familiæ, *repræsentative*, Statibus Imperii aggregari. Hisce itaque paulisper declaratis, ac consuetudine, in plerisque Celsissimis Germaniæ Domibus recepta; indicata, nemo ambiget, Principibus Apanagiatis Status qualitatem frustra vindicari. Sententia eo magis corroboratur, cum compertum sit, ne quidem Paragiatos, utpote pleno jure Territorii destitutos, ad Comitia admitti. Nulla etenim ex parte distinguendum hic erit inter Apanagium proprium & improprium. Nam ii etiam, qui secundogeniti ob jus Primogenituræ a successione promiscua exclusi, Territorium cum parte potestatis nanciscuntur, suffragio carent, utpote quod apud Primogenitum merito remanet. Id probant utraque Ducum Saxonicorum Linea, Albertina inprimis, ubi Elector suffragia solus exercet.

XXXV.

Mirandum præterea, dari nonnullos, quibus affirmativa sententia utique arridet, inter quos merito referas ARUMAEUM de Comit. Cap. 7. §. 134. BERTRAMUM de Comit. Th. 41. SPRINGSFELDIUM de Apanag. lib. 1. Cap. XI. §. 125. REIN-

KIN-

KINGIUM de Regim. Sec. & Ecclesiast. lib. 1. Class. 4. C. XVII. §. 17. & *LIMNAEUM lib. 1. c. 7. num. 9. sqq.* qui quidem hac utitur ratione, quia primogenitus omnes repræsentat, *Er vertritt sie*, in omnibus actibus & congressibus publicis. Nos in confutatione argumentorum, quæ cit. Auct. forsan proferunt, non hærebimus, cum vel antea adducta momenta iis satisfacere queant. Tantummodo Celeberrimi *Jo. GEORG. KULPISII* sententiam, qua Apanagiatis Status qualitatem vindicare satagit, his apponam, quam in erudito Tractatu *de Legationibus Statuum* Imperii *C. IV. p. 60.* sequentibus declarat.

XXXVI.

KULPISII sententia, Apanagiatis Status qualitatem vindicans recensetur.

„Quæ omnia ad rem præsentem ita transferenda sunt, „ut dicamus, quatuor fere gradibus æstimari posse Status Im„perii. Aliqui sunt *potentia remota* Status, qui meritis in „Rempublicam illustribus & requisitis, ad sustinendam tantam „dignitatem idoneis, publicaque formula, *R. I. de a. 1654. §.* „*197. & Capit. Leopold. art. 44.* præscriptis conspicui, habent „quidem verum *jus petendi*, juxta alios, ut in numerum Sta„tuum cooptentur, sed *ad ipsam dignitatem* jus proprium non „habent, ut egregie hos duos respectus secernit *HUG. GROT.* „*de J. B. & P. II. 17. 3.* ibi: *Cavendum hic, ne confundantur, quæ* „*diversi generis sunt. Nam cui Magistratus collatio mandata est,* „*is reipublicæ tenetur ad eligendum eum, qui dignus sit, & ad* „*hoc exigendum respublica jus habet proprium; quare si ex in*„*digni electione damnum fecerit respublica, ille resarcire tene*„*bitur. Sic etiam civis aliquis non indignus, etsi jus proprium ad* „*officium aliquod non habeat, habet tamen verum jus petendi,* „*juxta alios, in quo jure si per vim aut dolum impediatur, jam* „*non totius rei expetitæ, sed incerti illius damni æstimationem* „*exigere poterit.* At solum *aptitudinem*, quæ in Imperatore, „ut conferat istam, nullam producit obligationem. Aliqui „vero, *potentia proxima*, ut Principes, ultra geniti, apanagiati, „remotiorisque Lineæ, vivente Principe imperante, qui Status „est, possit quis illustrandi animo horum jus appellare *jus*

„*ad rem*, perfectum quidem, cujus tamen ulterior operatio „ac effectus, ex certa conditione aut tempore suspendatur, quale „scilicet jus est in his, quæ ex stipulatione conditionata debentur, aut, si mavis, in legatis, quorum dies cessit, non venit. „Habent enim utique verum jus ad dignitatem Status, ex „investitura primi acquirentis sibi quæsitum, ita, ut hoc ipsum „jus, in posteros ex primo acquirente veniens, necessario „transeat, sed ampliorum effectuum ratione vel impediatur „aliquando, vel ordine saltem certo sese exserat, prout nimirum eorum quis, aut propius attingit, aut remotius abest „ab ultimo illius dignitatis possessore, a cujus possessione, tanquam conditione, aut die, suspenditur, donec ipso „actu in jus reale queat transire, quod fit moriente Principe „Regente, ubi isthæc potentia, in actum Status, ut ita loquar, „immediate & nullo interveniente alio actu, ipsa successione „traducitur. Utrique illi, *improprie* tantum & ἐν πλάτει, Sta„tus appellantur, quamvis eo discrimine, ut posteriores de „proprietate rei plus participent, quam priores. Unde fa„cile patebit, quinam tertio, *actu primo*, Status sint, qui nem„pe ad Sessionem & Votum in Comitiis, vel Decreto Cæsa„reo expresso, vel legitima successione, ipso jure, sunt admissi, „præciso tamen exercitio & negatione ejus, hoc est, ut illud ne„que includatur neque excludatur, ideoque conjungi cum „illo, & sejungi ab eodem possit. His æque *proprie & ex„quisite*, Statuum nomen, definitionemque, etiam ante realem „usurpationem, competere, ausim dicere, atque *istis*, qui sæ„pius suffragia, haud interrupto exercitio tulerunt, & quod „*quartum gradum* efficit, Status qualitatem, in *actu secundo*, „obtinent, posteriorum horum jus, ut cœptam similitudinem „absolvamus, possumus comparare cum *jure in re*, quod JCti „nostri vocant, ut *actus primus*, sit veluti dominium, ad cujus „analogiam de Imperio subinde solent dissertare, considera„tum saltim ratione suæ formæ, *præcisis effectibus; actus* ve„ro *secundus*, ad modum *dominii pleni*, intelligatur, *conjunctis* „nimirum *effectibus*, qui in disponendi libertate, usu quoti-

„diano,

„diano, alienatione, oppigneratione, vindicatione & simili-
„bus consistunt. Ex quibus omnibus luculenter apparet, effe-
„ctum potius esse, quam formam Status Imperii, exercitium
„suffragandi, posse vero effectum, salva rei natura, a causa se-
„parari, multis juris nostri exemplis edocemur, & posita
„causa non statim poni effectum, universalis quoque Philoso-
„phia in regulis suis pridem constituit, in rebus etiam mora-
„libus valituris. „

XXXVII.

„Ne quis frustra hæc a nobis disseri existimet, publica-
„rum legum autoritatem præscribam. Primo insignem
„reperio locum, *R. A. zu Speyer d. A. 1570. §. Nachdem auch*
„*163.* in quo Maximilianus Imperator de iis loquitur, qui ses-
„sionem in Comitiis nullam adhuc obtinuerunt, actu scilicet
„secundo, quod satis innuit substrata materia; præcedentia-
„rum enim controversiæ non nisi in sessionis exercitio, &
„actuali congressu possunt oriri, & vero nihilominus simpli-
„citer eos Status vocat: *Reichs-Stande.* Regerunt quidem,
„*hos ἐν πλάτει solum, τῆς δυνάμεως ratione dici Status, adeoque*
„*recte loquendo non esse actu cives, sed potentia tantum.* Ve-
„rum, ne dicam cum LIMNAEO *Addit. T. 2. p. 117.* hanc
„distinguendi conciliandique rationem facilem quidem esse,
„sed publicis Imperii Documentis innixam, nondum obser-
„vari; videtur enim hactenus se ipsum postea correxisse.
„Certe comprehendere non possum, quare a *propria* vocabuli
„significatione sit recedendum, nulla urgente necessitate, quin
„imo videtur contradictionem involvere ista conciliatio.
„Quod enim potentia est, illud absolute loquendo non est,
„siquidem potentia esse, importat negationem actus, idemque
„est, ac actu non esse, posse autem esse; at Imperator illos
„absolute vocat Status: simplicius ergo textum accipiendum
„esse censeo de iis, qui per Decretum Cæsareum, ad Votum
„Sessionemque admissi, ideoque revera Status facti sunt, illam
„vero naturaliter nondum occuparunt. Quod clarius appa-
„ret ex R. I. *RATISB.* de A. 1641. §. *Und demnach 97.* cujus
„verba

„verba apponere non pigrabimur: *Demnach wir die Hochgebohr-„ne Unsere und des H. Reichs Fürsten und Liebe Getreue, Eytel „Friederich von Hohen-Zollern, Johann Antoni, Hertzogen zu „Crumau, und Fürsten zu Eggenberg, und Wentzeln, Fürsten, „und Regierern des Hauß Lobkowitz, zur Session und „Stimm im Reichs-Fürsten-Rath admittirt, und „zugelassen, Chur-Fürsten und Standte, auch in diese „Unsere Admission gewilliget, und es eintzig und allein an „würcklicher Introduction, dazu mann aus gewissen Ursa-„chen diesmal nicht gelangen können, ermangelt, als erklären „wir Uns, daß obermeldte Fürsten, sampt und sonders, wie an-„dere Fürsten und Standte des Reichs, bey künftigen Reichs-Tag „zur Session und Stimm würcklich gelassen werden „sollen.* Unde diserte constat, quosdam, qui non occupa-„runt, sessionem realiter *würcklich*, nec dixerunt senten-„tiam, immo propter intermissam adhuc solemnem intro-„ductionem, neque poterant, absolute tamen *admissos di-„ci ad Sessionem & Votum in Comitiis*; ratione ni-„mirum actus primi, at vero, quicunque huc admissus est, „ille *proprie*, adeoque non tantum *potentia*, sed *actu*, Status „est; Hoc enim *jus suffragiorum* actuale, usque adeo *verorum „Statuum esse proprium*, dicunt, *ut essentiam eorum unice con-„stituat*. Eadem distinctio inter *admissionem ad Votum & „Sessionem*, vel *receptionem in numerum Statuum*, ac *realem „würckliche, Sessionem & Votum*, repetitur, in R. I. novis-„simo *de A.1654. §. Uber dieses 197.* quorum prius formam „Status largitur, posterius vero operationes.„

XXXVIII.

„Posset quis opinari, nos, dum actus frequenter poten-„tiæ opponimus, minus philosophice loqui, cum, qui actu „Status sit, possit quoque Status esse, & qui actu suffragatur, „habeat quoque potentiam suffragandi. Sed respondebimus „mul-

„multum intereſſe inter iſta duo, *habere potentiam* ſuffra-
„gandi, vel *poſſe* eſſe Statum, quæ formula ab actu præſcin-
„dit, & *potentia* habere Suffragii jus, vel *potentia* Statum eſſe,
„quod actum excludit: de poſteriori, non priori lis eſt. Si
„quis vero iſtum ſuffragandi actum primum, ratione ulterio-
„ris actionis, potentiæ nomine velit appellare, ille quidem,
„niſi addito termino, cujus ratione potentiæ vicem ſubeat,
„accurate vix loqueretur; poſſet tamen tolerari, quo uſque
„locutione iſta actus non negatur, ad quem alias non male
„applicatur, quod de *habitu* pronuntiat EUSTRAT. ad
„ARISTOT. *Nicom. l. 6.* ibi: *Habitus comparatus, ad potentiam*
„*ſimplicem, actus dicitur, ad exercitium autem, ſive actionem,*
„*potentia.* Quamdiu ergo aliquis illud ſuffragandi jus actua-
„le retinet, hactenus quoque in Statuum, proprie dictorum,
„numero manere cenſendus eſt.„

XXXIX.

Ecquis vero ex hiſce KULPISII verbis, in medium jam jam prolatis, non perſpicit, eum quidem rationibus quibusdam philoſophicis ſententiam ſuam coloraſſe, ſed genuinis validiſque Juris Publici argumentis plane haud comprobaſſe. Publicarum enim Legum autoritatem, quam ad tuendam ſententiam interpoſuit, iis ſaltem Status qualitatem vindicare, qui in numerum Statuum recepti, ad Votum & Seſſionem vero in Comitiis nondum admiſſi, in proximis tamen Comitiis admittendi, dilucide apparet. Perperam vero hæc ad Principes Apanagiatos applicantur. Id quidem exploratum eſt, iisdem jus non plane deficere, ut ſuo tempore vocari poſſint. Quid ſi enim ex defectu primogeniti Lineæ Succesſionis habitum in actum deducere contigerit, tum regimen, cum omnibus juribus, ſine Imperatoris ſpeciali ſeu nova conceſſione, adipiſcuntur. Conf. REINKINGIUS *l. 1. Claſ. 4. c. 17. n. 78.* Attamen, an hoc ipſum, ad aſſerendam Status qualitatem ſufficiat, neutiquam mihi habeo perſvaſum. Fruſtra objicitur argumentum, eo collineans, Apanagiatis, quanquam Seſſionem & Votum in Comitiis haud obtineant, ta-

Notatur KULPISIUS.

men Status Imperii vocari posse. Etenim 1.) Dd. uno consensu affirmant, inseparabile Status Imperii adjunctum esse, ut quispiam in Imperialibus Diætis Sessionem quoque & Votum habeat, freti *R. A. de A. 1548. §. und soll unsere* & *§. wann auch ein ausgezogener. Conf. NICOL. EUERH. JUN. Cons. 41. n. 86. REINKINGIUS lib. 1. c. 1. num. 24. RULANDUS de Commissar. part. 2. lib. 5. c. 4. n. 27.* latissime *ARUMAEUS de Comit. c. 4. n. 1.* 2.) *LIMNAEUS* quidem in contrarium abit in *Jur. Publ. l. 1. c. 7. n. 92.* sententiamque suam prolixe defendere satagit. Sed operam omnino ludit, cum longam seriem eorum recitat, quos ad Comitia non vocatos, & tamen Status Imperii esse fingit. Quorum enim meminit, quidam de facto & injuria, propter receptam Confessionem Augustanam, suspensi ad tempus, sed Pace Westphalica plane restituti, & admissi fuere. Alii ab Imperio ipsi exemti; Alii penitus extincti, alii in numerum Statuum nunquam relati. Alii in jus Civitatis Germanicæ nondum recepti fuerunt. Quid igitur his commentis ineptius est? Primo loco recensiti, habuere jus Comitiorum, reliqui nec Status sunt, nec fuerunt. Regnum Bohemiæ, suo sensu, Status Imperii dici potest, quatenus Augustum ejus Caput Comitiis Electoralibus interest. Quod autem pleno sensu non sit, inde est, quoniam non receptum fuit, neque se recipi curavit, seu in civitatem Nationis Germanicæ desideravit, quin olim separatum esse maluit. Cur enim tanti fastigii regnum minus receptum fuisset in civitatem Germanicam, quam Principatus Pomeraniæ & Mecklenburgensis, qui ipsi olim juris Slavici fuere, & ille A. 1181. hic a. 1348. in jus Civitatis Germanicæ & Comitiorum cooptati sunt. Nec minus frivolum est, quod *LIMNAEUS l. c. ex A. B. tit. 4. pr.* affert, ubi tantum definitur, quo ordine Rex Bohemiæ sedere debeat, cum vocatus adest, non autem quod semper vocandus sit. Neque sanius est, quod ait, *von den Inhabern.* Illi enim non suo, sed Statuum, quorum terras tenent, jure adsunt.

Notatur LIMNÆUS.

XI.

XL.

LIMNAEUS porro notatur, affirmans, solam Matriculæ inscriptionem Verum Status Imperii notam suppeditare.

Idem *LIMNAEUS* non minus hallucinatur, qui solam Matriculæ inscriptionem veram Status Imperii notam suppeditare, operose probare conatur, *l. P. c 7. n. 91. sqq.* Ut ut vero & nos facile largiamur, Matriculam ad probandum Statum simul facere, quoniam in eam relatus, tantisper pro Statu Imperii habetur, donec edoceatur contrarium, uti docet *GAILIUS Obs. 21.* Attamen, cum sola inscriptio non sufficiat, sed tunc demum *in effectu* Status dicendus erit, si quis rite & secundum morem aut legem, in ea descriptus, se pro tali gerat, ac præstet ea, quæ faciunt Status, adeoque probationem in contrarium admittat. Ex quo apparet, illam notam Status infallibilem non suppeditare. Neque animum flectunt, quæ *LIMNAEUS* objicit, 1.) quod Matricula sit Instrumentum Publicum, per quod ea, quæ fit probatio, dicitur optima & expeditissima. Nam α) id tum procedit, quando nihil contra Instrumentum opponitur; usquedum enim de validitate instrumenti disceptatur, illud nullam fidem facit. Constat nimirum, de erroribus Matriculæ, etiam illius, quæ alias perfecta habetur, Wormatiensis nempe de A. 1521 Status sæpius conquestos esse, sicuti & in Comitiis Augustanis de A. 1548. Proceres Imperii Catalogum eorum exhibuere, qui erronee inscripti sunt, vid. R. I. de A. 1548. §. *Nachdem auch. LIMN.* in *Addit. c. 7. n 73.* Neque vero tantum conquestos fuisse, sed & obtinuisse, ut de illa emendanda atque perficienda cautum fuerit, vid. *R. I. de A. 1576. nachdem wir ferner* & *de A. 1582. Wann nun neben.* (*) β) Quando ex Instrumento plene de eo constare potest, de quo disceptatur, atque citra adminicula alia, ex matriculis, quæcunque etiam sunt hactenus proditæ, de qualitate Status certo constare non potest, quia in iis

(*) Confer REINKINGIUS *de Reg. Sec. & Ecclesiast. l. 1 class. 4. c. 1. n. 20. sqq.* WEHNERUS in *Observat. Pract. voc. Matricul.* & GAILIUS *l I. O. 21. n. 11.* Fuse etiam de hac materia disserit ITTERUS *de Feud. Imp. C. XXI. §. XXVIII. XXIX. sqq. p. 935. sqq.*

maxime ad rationem census respexerunt conditores, atque eos inseruere, qui, utut Status non essent, oneribus tamen Imperii subjecta possiderent Territoria. Neque officit, 2.) Quod qualitas Status non nisi ex Matricula probari possit. Etenim contrarium & ex modo dictis, & ex sequentibus est in propatulo. Contradicit enim clare & aperte R. I. *de A. 1548. Wann auch ein ausgezogener.* Unde in Processu exemtionis Libellus a Fiscali ex sequentibus proponi solet: (*a*) quod eximendus albo inscriptus; (*b*) quod jus & suffragium in Comitiis Universalibus & Circularibus habuerit; (*c*) quod feuda, dignitates & Regalia ab Imperatore habeat; (*d*) Collectas solvat. Ratio vero, cur hæc jam contra LIMNAEUM in medium adduxerimus, ea est, ut eorum opinio destruatur, qui vel inde Apanagiatis Status qualitatem vindicant, quod in quibusdam Familiis Lineæ integræ matriculæ Imperii reperiantur insertæ. Quando nempe Familiæ ac Lineæ integræ, *Stammen*, junctæ fuere, v. g. *alle Grafen zu Nassau-Saarbrücken, Nassau Catzenelnbogen, alle Grafen zu Hanau, Müntzenberg.*

XLI.

Nemo Status Imperii esse potest, qui feuda Regalia ab Imperio haud possidet.

Ne vero in re per se clara atque explorata, diutius, quam par est, versari videamur, confutationem argumentorum, quæ ii, qui Apanagiatis Status qualitatem vindicant, forsan proferunt, aliis relinquo. Paucis tantum addere libet rationem, quæ, Apanagiatos Status Imperii vocari, haud suadeat, hanc potissimum esse, quod bonis Imperio immediate subjectis sint destituti, ac consuetudo, in Germania recepta, sat comprobet, prærogativam talem semper apud Primogenitum tantum residere. Neque adeo Primogenito de illa quicquam erit detrahendum. Hinc ob dignitatem talem Status Imperii, sane eximiam, in FERDINANDI IV. gloriosissimæ memoriæ Rom. Reg. Capit. salubriter omnino ordinatum & provisum fuit, ut inposterum nemo ad Senatum Imperii admittatur, ac pro vero Imperii Principe reputetur, nisi ab Imperio feuda Regalia possideat, & Imperii Albo inscriptus sit. vid. CAPIT.

FER-

FERDINANDI IV. ROM. REG. art.45. Quod etiam repetitum in S. C. M. *LEOPOLD.* M. *Capit. Imp. art. 44.* & in *CAPIT.* novissima *CAROLINA Art. XXII.* Quia ita conventum reperitur: *Daſs niemand von den neu erhöhten Fürſten in dem Fürſtlichen Collegio, ad Votum & ſesſionem angenommen werden ſolle; Er habe ſich dann darzu, mit Fürſtenmäſsigen Reichs-Gütern vorhero genungſam qualificiret, und zu einer Standts-würdigen Steur in einen gewiſſen Creyſs eingelaſſen.* Conf. *PACIF.* a *LAPIDE* ad *MONZAMB. diſcurſ. 1. num. 4.*

XLII.

Principes Apanagiati, quanquam Status Imperii haud ſint, tamen ſunt Imperio immediate ſubjecti.

Verum enim vero, quanquam Principes Apanagiati Status Imperii haud ſint, nec tales vocari queant, id tamen Statui eorundem immediato haud officere poterit. Nihil enim ad ipſorum Statum immediatum confert, an ſint Status Imperii, nec ne; cum quis immediate Imperio ſubjectus eſſe posſit, quanquam Status qualitate neutiquam gaudeat, ut exempla, in Imperio Germanico obvia, ſatis ſuperque declarant. Accedit, quod immedietas eorundem ex aliis longe fundamentis deducenda ſit, atque evincenda, quæ quidem jam partim inveſtigavimus, partim vero in ſequentibus magis adhuc inveſtigaturi ſumus.

XLIII.

Altera pars argumenti oppoſiti inveſtigatur.

Ad alteram vero argumenti, a diſſentientibus oppoſiti, partem, inveſtigandam cum accedamus, brevisſimis repetendum erit, quonam illud collineat. Ajunt vero, Apanagiatos ideo Principum Regentium jurisdictioni neceſſario ſubjici, quod Immediati Territorii poſſesſione ſint deſtituti. Quam recte vero hæc ratio, pro adſtruenda Primogeniti in Fratrem Apanagiatum jurisdictione, proferatur, noſtrum jam erit diſquirere. Antequam vero ſententiam noſtram dicamus, declarare liber, nos per ea, quæ dicturi ſumus, neutiquam adſtruere, Apanagiatos ratione partis terrarum, quam ex diſpoſitione paterna aut pacto tenent, forum rei ſitæ & Territoriale declinare

nare posse. Eo vero scopus noster tendit, ut diserte edoceamus, Apanagiatos, in caussis personalibus, idem forum, quod ceteris Imperii membris Romano-Germanici Imperii competit, sortiri. Itaque 1.) animadvertendum est, sententiam Dd. atque usum, in Germania receptum, satis comprobare, quod immediata Imperii subjectio sine territorii jure subsistere possit, prouti testatur *KNICHENIUS in velit. apolog. n. 14. 15. 110. 131.* Qui præjudicia ac exempla legere gestit, ea reperire poterit apud *SUANEMANNUM in Decis. Camer. p. 181. 194. 195.* Sicuti enim Status qualitas personæ omnino adhæret; ita & subjectio immediata, ac dicendum erit cum *CRAVETTA:* quanquam penes unum Marchionatus aut Comitatus sit, dignitatem tamen Comitis aut Marchionis ad reliquos quoque liberos & nepotes dimanare, *Cons. 855. num. 4.* 2.) Fortuna, quam nascendo quis meruit, mutari, adimi, amitti non potest; *l. 41. C. de decurion.* quæque a genere, a civitate, a rerum natura tribuuntur, posteris incolumia manere fas est, per *l. 3. π. de interd. & releg l. 11. π. de Senat. CHOPPIN. lib. 1. de LL. Audi. cap. 63. n. 4.* Quis itaque Apanagiatos, qui ab ipsa nativitate statum immediatum sunt nacti, propterea quod territorii immediati possessione non gaudeant, personalibus Imperii privilegiis orbaret, & ad plebeja subsellia detrusum iret? 3) Segregatissima sunt, *feudalis recognitio*, quæ patrimonii qualitas, & *subjectio*, quæ relatio personæ est; pulcre observat *CHOPPINUS lib. 1. de Morib. Paris. tit. 2. num. 2.* Nec possum non verba *PAUERMEISTERI*, quia in terminis clara & diserta sunt, hic repetere: „ Aliud, (inquit) est, Comitatum una cum „ jurisdictione universa, in subditos per recognitionem, Prin„ cipi substernere, aliud vero, se suamque personam, simpli„ citer, tam ratione personalium actionum aliunde, quam ex „ feudo descendentium, quam realium, non ex feudi legibus „ proficiscentium, ordinariæ ejus potestati ac jurisdictioni „ subjicere; non ergo sequitur: Comitem, Baronem vel Nobi„ lem, directum dominium tam Comitatus, quam jurisdictio„ nis in subditos, per recognitionem feudalem, in Principem

„ trans-

Immediata subjectio sine Territorii jure subsistere potest.

Fortuna, quam nascendo quis meruit, mutari non potest.

Distinguendum est inter feudalem recognitionem & subjectionem.

„transferentem, personam quoque suam, a jurisdictione Im-„perii immediata eximere, ac simpliciter Principi subjicere „se voluisse.„ *lib. II. de Jurisdict. cap. 8. n. 48.* (*) Ex quibus id saltem (quod ad scopum nostrum pertinet) colligitur: Apanagiatos, quanquam recognitionem feudalem, ratione partis terræ, ipsis adscriptæ, non recusent; attamen eosdam personam suam a jurisdictione Imperii immediata exemisse, ac Principibus Regentibus sese subjecisse, neutiquam esse existimandum. 4.) Vasallum esse, non est Status personæ, si territoria excipias, ubi omnes Vasalli simul sunt subditi, sed patrimonii qualitas, ejusque obligatio (licet præstationes quasdam personales producat) realis, non personalis censetur. Et cur Principes Apanagiati non adiguntur ad duplex juramentum, alterum ob rem feudalem, alterum ob *personæ subjectionem*, si quæ subjectio esset? vere igitur concludo, nullum hinc obsequium, contra personæ immediatam Imp. subjectionem, effici posse. Vel enim ratione, quod in districtu habitent, vel quod vasalli sint, subjecti dicentur. Nihil horum. Cæsarum etenim beneficio Principes Comitesvi-

Vasallum esse, non est Status personæ, sed patrimonii qualitas.

(*) Ex loco hoc PAVERMEISTERI itaque apparet, dari quosdam Comites Nobilesve, qui Comitatus vel feuda, ab Imperii aliquo Principe, in feudum recognoscunt, ac inde Vasalli ejus sunt, & in caussis feudalibus ipsius forum sequuntur, attamen in reliquis Imperio immediate subsunt, & Judicium Aulicum vel Cameram Judices habent. Hi pro duplici respectu quo clarent, *Reichs- und Lands-Fürstliche Graffen* vocari poterunt. Non enim novum est, ut quis in Imp. Rom. duplicem sustineat personam, Imperialem nempe & Provincialem. Talis est Comes de Riedberg, qui Vasallus est Landgravii Hassiæ, personale tamen homagium præstat Imperatori & Imperio. Ejusmodi Comitatus nihilominus tamen regales dignitates habere constat. Nam etiamsi non immediate, tamen mediate, ab ipso summo Principe ejusmodi feuda consequuntur, & dignitatem regalem, quæ antea iis feudis adhæsit, tanquam a supremo Principe profectam, cum Regalibus iisdem feudis annexis, acquirunt, vel potius retinent. vid. SPEIDELIUS in *Observat.* voc. *Graff.*

mitesve Apanagiati dignitatem suam, immediatumque Statum possident, non hodie primum vel heri, sed veneranda longave serie Majorum. A Cæsare Principes Imperii, ab omni vetustate temporum, agnoscuntur, aliqui etiam, in Matricula signati reperiuntur, ad Comitia suo tempore vocari possunt, reliquisque Principibus permixti, in luce conspiciuntur. His similibusque argumentis rite perpensis, nemo facile ambiget, *Apanagiatos in ipso feudo, larem foventes, Status liberos & immediatos Imperii omnino esse*. Sane, si Comes vel Baro, ab aliquo Principe, Comitatum aut Baronatum suum recognoverit in feudum, ac nihilominus *in territoriis, ubi Vasalli quicunque non simul sunt subditi*, Imperii immediatus existat: eo magis Princeps Apanagiatus, qui privilegiis ceterisque Constitutionibus Imperii utitur, fruitur, a jurisdictione Principis Regentis exemtus erit, ac immediate Imperio subjectus. Secus certe, quam olim in Germania moris erat; *da derjenige, so unter den Brüdern das Fürstenthumb bekommen, ein Reichs-Fürst, die übrige Brüder aber schlechthin Fürsten und Fürsten-Genossen genannt seyn worden*; *SPEC. SAXON. lib. 3. art. 59. DN. DIETERICH ad A. B. tit. 7. fol. 96.* Illustrandi causa, verba *REGNERI SIXTINI*, Jureconsulti Hassiaci præstantissimi,

REGN. SIXTINI opinio recensetur.

„apponam: Si Comes vel Baro, ut securior esset, aliamve ob „causam, ab aliquo Principe inferiori Comitatum aut Baro„natum suum recognorit in feudum, hoc etiam casu prior „dignitas retinetur, ut quam, a solo summo Principe nactus „est.„ *lib. 1. de Regal. c. 4. num. 59.* & post: Quemadmodum „per hujusmodi prædictas feudationes & subinfeudationes non „derogatur dignitati Regalium & juribus Regalibus Comi„tum, vel Baronum Imperii, sic etiam *libertatem, qua Impe„rio immediate subjecti & Status Imperii sunt, non amittunt*, „*nec Domini Feudalis jurisdictioni subjiciuntur*, cum omnino „diversa sint, jurisdictio ordinaria & feudalis, utque maxime „velint, non tamen possunt, per hujusmodi recognitionem „feudalem personam suam, aut bona Imperio immediate sub„jecta eximere; *cap. 4. 67. 78.* Consensit vir consultissimus

„*MATTH.*

„MATTH. STEPHANI, *lib. 2. de jurisdict. p. 1. c. 7. num. 229.* „In Romano (inquit) Imperio sunt, qui ratione feudi, tam „regalis, quam non regalis, Principi juramentum præstant, ac „ratione personæ suæ, omnino liberi, & neminem, præter Im„peratorem, recognoscunt, Constitutionibusque Imperii, „æque ut alii immediate Imperio subjecti, tenentur.„ Conspirat nobiscum ANDREAS KNICHENIUS, supremæ jurisdictionis alioquin Vindex acerrimus, in *Epopsi, n. 141. exp. 2.* „*de vest. pact. c. 5. num. 138.* Nobiles (ait) Rheni, Sveviæ, „Imperatoris solummodo subditi sunt: Principibus vero, a „quibus feuda recognoscunt, juramentum fidelitatis rei feu„dalitiæ exhibent. Concordat HEINRICUS ROSENTHALIUS, interpres feudalium consuetudinum celeberrimus, Scriptorumque sui ævi in eo genere facile Princeps, *cap. 5. concl. 78. num. 9. 10.* & *cap. 5. quæst. 5.* itemque *qu. 69. lit. H.* circa fin. „In mille Germaniæ locis (scribit) videre licet, quod „Nobiles & Comites, Vasalli Principum etiam, ratione feu„dorum, quæ ab Electoribus aliisque Principibus tenent, im„mediate subsint Imperatori & Imperio, nec Domini feudo„rum ullam in eos jurisdictionem exerceant:„ tandemque concludit„ Constitutiones privilegiatas, etiam respectu ho„rum feudorum, licet Vasalli in iis habitent, competere ex „stylo Cameræ, modo aliunde Vasalli isti sint immediati, vel „saltim in q. possessione exemtionis.„ Objecerint, Imperii Edictis promulgatum, ut bona ab Imperio habeant, qui Status esse volent. (*) Quænam autem isti? *Primo* non est necessa-

sententia MATTH. STEPHANI *exponitur.*

Adstipulatur ANDR. KNICHENIUS.

Consentit HEINR. ROSENTHALIUS.

Opinio rejicitur, neminem posse esse Statum immediatum, si bona ab Imperio haud possideat.

H

(*) Commonendum hic est, nos de Statu Imperii actuali, qui nempe Sessionem & votum in Comitiis obtinet, plane non disserere; sed tantum adstruere, aliquem posse esse immediate Imperio subjectum, etsi territorii immediati possessione sit destitutus. Quod si enim quæstio sit, an bonorum immediatorum possessio ad essentiam Status Imp. hodie prærequiratur? id declarare saltim libet, distingvendum esse ævum. Sane olim & præsertim ante *Rec. Imp.* noviss. immediata conditio (ratione bonorum) non fuit

cessarium; Status enim Imperii & Territorii jura valde distincta sunt; *KNICHENIUS* in *velit. apolog. num. 13. 120.* subjectioque immediata sine territorii jure subsistere potest, ut ex *KNICHENIO* ibid. *n. 14.* &c. supra annotavimus. Appello infinitos Comites, innumeros Imperii Nobiles, Civitates ferme omnes liberas, qui Imperii feudis exuti, accurate tamen, ne libertati personarum quicquam derogetur, animadvertunt. *Deinde* dignitatem atque prærogativas ab Imperio habent, ex quibus honor longe amplior, proventus etiam uberior, quam ex asperis aviisque aliquorum vicorum dumetis. Insimul itaque

fuit necessaria, cum quoque Landsassii (intuitu tamen personæ immediati) in Comitiis comparuerint, quemadmodum temperanda & intelligenda est sententia LUDEVVIG. *Dissert. de civit. dispar. nexu cum S. R. I. C. 4.* Hodie autem Legibus Imp. abunde sancitum, sine bonis immediatis qualitatem Ordinis Imperii consistere haud posse. Ubi quæritur: 1.) Utrum sanctio ista pertineat ad eos, qui forte Status Imp. nec tamen bonis immediatis instructi, ita ut adhuc talia sibi debeant comparare? Quod negamus, cum Leges saltem de futuris regulariter disponant. 2.) Utrum Superioritas Territorii ejusmodi bonis debeat inhærere? nequicquam. Sane ii valde decipiuntur, qui cum Jure Status Imp. conjungere volunt Potestatem Territorii. Nam hæc origine, forma, effectu magnopere distant. Jus Comitiorum tum jam invaluerat, cum Superioritas esset incognita; & ii ad Conventus publicos admissi, qui officia Regni gessere, & Cives præcipuos constituere, licet nullis Regalibus eminerent. Sic Comites Ordines Imp. extitere, qui tamen tardius Jura Regalia adquisiere. Immo Nobiles Immediatos Comitia olim adiisse, compertum est, Sane non nego, hodie plerosque Ordines jus Territorii acquisiisse, sed id solum dispicitur, utrum ad qualitatem Status illud sit hodie quam plurimum referendum. Equidem si formam consideres, potestas respicit Territorium, ejusdemque finibus concluditur. Contra Jus Status concernit negotia Imp. publica. Superioritatem Territorii sine jure Status consistere, nemo diffitetur, & tot exempla probant. Cur non igitur jus Status sine ista valere dicas? Nam eadem utrinque deprehenditur causæ paritas.

itaque ex hiſce colligitur, Apanagiatos, etſi in alio quam Principum Regentium territorio domicilium conſtituant, utique in cauſſis perſonalibus, ſemper ſupremæ Cæſaris jurisdictioni obnoxios manere. Libertatis enim eſt Principum Germaniæ, quod ubicunque degant, nihil in dignitate imminutionis patiantur, neque per accidentarias cauſas forum eorundem mutetur, etſi in territorio alieno domicilium conſtituerint. Cum vero jam ſatis ſuperque cuilibet conſtare poſſit, Apanagiatos, quanquam territorii immediati poſſeſſione haud gaudeant, attamen Imperio immediate ſubjectos merito cenſeri, plura quidem his addendi, neceſſitas nulla exigit. Ut vero ad liquidum veritas eo magis appareat, non incongruum, nec inſtituto contrarium erit, ſi ſequens adhuc ratiocinium, uſu in Imperio Romano-Germanico conſtanti ſuffultum, iis ſuperſtruamus. Ita vero concludere libet: Si Clericorum perſonæ etiam in Principum Territoriis exemtæ ſunt (vid. T. *MICHAELIS de jurisdict. concl. 58.*) ſi ampliſſimi Domini Aſſeſſores, (ſicuti late confirmat *DENAISIUS in adſert. jurisdict. Cameræ, p. 5. 10. 238. 239. 252.*) ſi Legati eorumque Domus, ſi Nobiles immediati, ſi Equites Rhodii, ſi Capitulares multi, ab ordinaria Principum, apud quos degunt, jurisdictione & Superioritate exemti: (vid. inter alios, *PAUERMEISTER. lib. 2. de jurisdict. c. 8. n. 81. 82. 83. & ſqq.*) ſequitur, quod multo magis Apanagiati, utpote illuſtres Imperii animæ, ab ea eximendi ſint. Quicunque ſane hæc omnia rite examinare velit, facile intelligere poterit, diſſentientium opinionem fragili ſuffultam eſſe fundamento, quid? quod jurabit, cum *POMPONIO*, eandem *NON LIQUERE in l. 13. π. de arbitr. & l. 36. π. de re judic.*

XLIV.

Quæſtio eruitur: An Apanagiatus vel ratione Territorii immediati, per matrimonium acquiſiti, ab juris-

Ad aſſerendam vero Primogeniti jurisdictionem in Fratrem Apanagiatum, ſequens quæſtio ſupra expoſita fuit; ſcilicet quæritur, an Apanagiatus, ſi Territorium immediatum matrimonio forſan fuerit conſecutus, vel ratione hujus a jurisdictione Fratris Regentis liberetur? quæ idcirco jam jam erit

ditione Fratris Primogeniti exemtus sit?

eruenda. Censeant vero jurisdictionis Primogeniti in Apanagiatum assertores, nil hoc obstare, cum aliquis duas qualitates, immediati & mediati, habito certo respectu, induere queat. Quo jure vero ita distinguant, jam edocebimus. Concedo ac largior lubenter, aliquem ratione bonorum posse esse insimul mediatum & immediatum. Sed ad Principem Apanagiatum hæc minus recte applicantur. Præterea enim, quod immedietatis Status Apanagiati personæ inhæreat certe & eo ipso, quo territorium immediatum consequitur, Domino ejusdem Supremo f. Cæsari subjicitur. Accedit, quod sola bonorum possessio, *si territoria omnino clausa excipias*, subditum non efficiat; *l. libertus §. sola π. ad munic.* VULT. *I. F. c. 6. n. 5.* neque dignitati personæ quicquam detrahat. Sic prædium, jure Apanagii cessum, Apanagiatos quidem, aliqua ex parte, ad forum Principis Regentis adstringit, attamen ideo Statum eorundem immediatum infringere nequit. Variæ nempe dignitatis suæ obtinendæ privilegia possident, quæ non occasione territorii, sed magis ex ipso ortu & nativitate, ob natalium splendorem proveniunt. Cum etenim filii & filiæ Principis, Patre quoque vivente, vocari soleant *Fürsten und Fürstinnen*, ac titulo illô solemni, *Gratia* DEI, *von Gottes Gnaden*, (*) æque ac alii Principes, Ducatum possidentes, utantur,

(*) De titulo: *Dei Gratia*, paucis hic annotare placet, quod a Seculo decimo jam ducatur, quod Principes hoc titulo sint usi, licet magis adhuc ab undecimo invaluisse videatur. Vid. varia, quæ fidem ejus præbent, Diplomata ap. STRUVIUM *in Syntagm. Jur. Publ. p. 372.* Nec defuerunt antiquitus Comites, qui eodem uterentur. vid. DOCUM. WÜRTENB. *p. 147.* & *357.* Hinc mirum esse non debet, quod ex constanti usu Principes æque ac Comites hodie hunc titulum gerant, nisi quod, ubi ad Imp. vel Superiores scribunt, eundem omittant; SECKENDORFII *Teutscher Fürsten-Staat P. II. C. II. n. 2.* Hinc inter Curialia hodie hoc erit referendum. Ac cum formula primum erat pietatis, ex ea Jus Suprematus non adeo semper concludendum; nec fontes

tur, justum igitur & æquum est, eos aliquam titulo convenientem prærogativam obtinere, *Besoldus Consil. 150. n. 7. & 8. vol. 4.* Nominum quippe identitas identitatem quoque ipsius rei arguit, *l. idem C. de Codicill.* & ex nominis sui appellatione quispiam jus acquirit, can. *sacerdotibus, ubi Glossa causs. 11. quæst. 1.* Hinc consequitur, quod Apanagiati sint Immediati Imperii, ac nemini nisi Cæsari subjecti. Sed hæc jam sufficiant, cum quilibet ex iis animadvertere poterit, ea omnia, quæ forsan a parte contraria obverti possunt, statui Apanagiatorum immediato haud officere. Unicum tamen locum, qui sententiam nostram juvat, *Heinr. Rosenthalii*, supra a nobis laudati, his addam. Ita vero, *c. 9. de feud. concl. 56. n. 16.* „ scribit: Hoc notoria Germaniæ consuetudo observat: quia „ Duces nascuntur, & aliquando in solidum Ducatum, vigore „ Investituræ primæ, consequi possunt, & ita plerumque pro „ se & descendentibus legitimis, creantur in Duces aut Co- „ mites. „

XLV.

III. Argumentum, pro jurisdictione Principis Primogeniti in Apanagiatum pugnans, exponitur & investigatur.

Tertia, quæ adversarios excitat ratio, ut jurisdictionem Principis Regentis in Fratrem Apanagiatum propugnent, hisce saltim comprehenditur. Apanagiatum ideo jurisdictioni subjici, quod non solum prædium possideat, annuamque pensionem saltem recipiat; sed etiam in Territorio Principis Regentis vitam degat, seu Primogeniti domicilio fruatur. Addunt, sicubi quilibet jure gentium, in regione quadam prædia colens, & habitationem instituens, potestatem illius revereatur, qui ibidem Superior est, non apparet, cur Apanagiati, in territorio, animo ibidem permanendi, commorantes, etsi bona immobilia non possideant, jurisdictioni Primogeniti prorsus subtrahere semet velint, in omnes regionis incolas jurisdictionem exercentis. Sed quæcunque de domicilio atque

 potesta-

tes juris territorii genuini inde possunt derivari, prouti commonstrat Frater meus F. L. N. D. A. Berger. in Animadverss. ad Coccej. Jus Publ. p. 779.

potestate, ipsi territorio inhærente, cæterisque eo comprehensis, fuse tradunt Dd. plerumque ex Jure Romano sunt depromta, ac neminem, nisi juris hujus prorsus ignarum, latent; perperam vero ad casum præsentem applicantur, cum potius hic Statum Imperii Romano-Germanici examinare, ac secundum hujus proprietatem æquum judicium ferre, æquum sit. Nec LL. illæ Romanæ, & antiquorum JCtorum placita, ad Principes Imperii Apanagiatos ulla ex parte erunt proferenda, ut pote qui hac ratione non nisi privatis inepte æquiparantur. Nec res adeo evicta est, ut autumant, quod certum subjectionis argumentum sit, territorio alterius inclusum esse; id quod mox commonstrabimus. Itaque communis quidem regula est: quæcunque intra territorii septa continentur, ea in fide, jurisdictione & patrocinio Domini istius esse, opinione præsumi; conf. Canonistas, infinitumque aliorum Dd. numerum, nisi singulari beneficio privilegii aut præscriptionis, libera esse comprobatum sit, ita, ut onus probandi in reum exemtum rejiciatur. *MATTH. STEPHAN. lib. 2. jurisd. p. 2. c. 7. n. 76.* allegantique libertatis probatio incumbat, *MEISNERUS, tom. 2. lib. 1. decis. 9. n. 6. & 7.* Hæc tamen non impediunt, quo minus aliter sentiamus; inprimis, cum vulgaris Dd. antea adducta sententia haud adeo suavis sit, ut judicis aures reorum defensionibus præcludi debeant *Primo* itaque præsumtio ista habet præsumtionem fortiorem contra se, eamque naturæ regulis suffultam; videlicet rem omnem esse liberam a primo ævo, statu & jure, secundum *c. jus* gentium, distinct. 1. *MEISNER. t. 3. decis. 7. n. 84.* Præsumtio autem præsumtione tollitur. *l. fin. π.* quod met. caus. *MENOCH. 1. præs. 30. Secundo:* Præsumtio ista nemini favet, nisi Principi, ob natalium dignitatisque splendorem, quippe qui ipsi Statum immediatum ac liberum attribuit, atque vel in hac parte maxime ab aliorum, in territorio vitam degentium, statu discernit. *Tertio* Maxima sane est differentia, *in eines Fürsten Obrigkeit, und unter eines Fürsten Obrigkeit sitzen*, ut bene animadvertit *BIEDENBACH* in *qq. nobil. 1. num. 16.* add. *RUDING. lib. 3. Observ.*

Opinio vulgaris, quæ docet, omnia, territorio alterius inclusa, etiam in jurisdictione istius esse, rejicitur.

serv. 10. Quo refero perſpicuum ex Comitiis Auguſtanis contextum: *der ander Creyſs begreift Fürſten, Land-Graffen, Graffen, Prælaten, Frey-Herrn, und Reichs-Städte, unter und bey Ihnen gelegen, Anno 1500. §. der ander Krayſs, Regiments-Ordnung zu Wormbs Anno 21. § der ander Circkel.* In mediis Francici Regni viſceribus non modo abſoluti Principatus, quos *ſouverainetez* appellunt, ut Dombarum, Mompenſerii, PARADINUS *lib. 2. Annal. Sabaud. c. 9.* Sedanenſis, Bullionæi, CHOPPINUS *l. doman. tit. 11. n. 19.* Archenſis, Niverſii, aliorumque, ſed etiam, quod ſingulare magis, in Provincia Normandiæ, Principatus *d' Yvetot* a nexu Regis Franciæ exemtus, & in peculiare regnum ab Agapeto, Pontifice Romano, erectus fuit, *Anno Chriſti 563.* vide de hoc regulo TERRIENUM *in comm. jur. Norm. lib. 5. c. 2. de feud.* CHOPPIN. *2. doman. tit. 9. n. 2.* In Imperio itidem noſtro, quot Nobiles, quot Civitates undique Principum oris, velut palis, circumſepiuntur, ſalva tamen Imperii libertate? PAUERMEISTER *lib. 2. de jur. c. 9. n. 27.* KNICHEN *de jure territ. c. 4. n. 73.* Exemplum habes in MEISNERO, in cauſa *Teutſch-Meiſter* contra *Oettingen, tom. 2. lib. 1. deciſ. 6. n. 51.* & in cauſa Hirnheim *contra Pfaltz, deciſ. 8. n. 50.* add. *Tom. 3. deciſ. 6. n. 64.* Quin imo locus, mœnibus & pomœrio incluſus, liber eſſe poteſt, differente COTHMANNO, *conſ. 21. n. 103. Vol. 1.* Territorium igitur non loco, non ſitu, ſed per actus jurisdictionales deſignandum eſt, uti differit GILM. *t. 1. p. 2. v. 4. n. 34.* Plura de præſenti materia in medium proferre nil refert; cum vel ex hactenus dictis ſatis ſuperque appareat, argumentum ſubjectionis, quo iis, qui territorio incluſus, ſubjectus quoque dicitur, ad omnes caſus haud proferri poſſe.

XLVI.

Ne quis tamen exiſtimet, nos jura territorialia atque Landſaſſiaca minus rite examinaſſe, ac contra ea quicquam ſtatuere; per modum *Declarationis* id ſaltim addere placet. Nos nempe per hæc, quæ jam in medium adduximus, minime in *Fundata eſt Territorii poteſtas, contra omnes in eodem viventes.*

dubium

dubium vocamus, quod a Territorio argumentum ſumi poſſit ad Superioritatem Territorialem, ita, ut, qui in Territorio bona feudaque habeat, non ideo ſit ſubditus, homagium præſtare teneatur, comparere debeat in Comitiis Provincialibus, Foro Provinciali ſit ſubjectus. Utique ſtatuimus, fundatam eſſe Territorii poteſtatem contra omnes in eodem viventes, donec exemtio demonſtretur; vid. *HENNIGES de Superiorit. Territ. §. XIX. HERTIUS de Subject. Territ. §. III.* Ac id minus dubii habet in originariis Landſaſſiatus ſedibus, uti Saxonia, Haſſia, Bavaria, ac Marchionatu Brandenburgico, quippe quibus in locis nullus, licet illuſtri nobilitate præfulgeat, absque ſubjectionis onere habitare poteſt. Et qui plura hac de materia legere geſtit, conſulat Illuſtrem Saxoniæ JCtum, *LUDERUM MENCKENIUM*, qui in Diſſertatione Juris Publici, de vi *Superioritatis Territorialis in Territoriis Imperii clauſis, & diſcernendo ab eodem Judicio feudali, intuitu feudi, in iisdem ſiti, Curiæ Domini directi relinquendo;* fuſe egit. Prodiit *Lipſiæ 1712.* Addo, quod ea, quæ de Nobilitate immediata commonuimus, ita ſint interpretanda; ſcilicet bona Nobilitatis immediatæ ſunt vel immediata, vel mediata; iſta ab Imp. tenent, eorundemque ratione neminem agnoſcunt Superiorem quam Imperatorem, & ſunt vel bona feudalia, de quibus ab Imp. inveſtiantur, vel allodia, (*) qualia illorum bona pleraque fuerunt, licet permulta etiam diverſis Imperii Statibus in Feudum fuerint oblata. Alia bona ſunt mediata. Licet gravis adhuc ſit controverſia, an Nobiles immediati, Feuda a Principe Imperii habentes, ejusdem etiam Juri Territorii ſubjiciantur. De Saxonia, Haſſia, Bavaria, terris Auſtriacis, aliisque, quæ ad Territoria clauſa ſolent referri, non amplius diſceptatur; de Franconia vero, Svevia, & Terra Rhenenſi, adhuc haud levis agitatur controverſia, maxime inter Electorem Palatinum, Marggravios Brandenburgenſes, Ducem Wur-

Nobiles immediati, ratione feudorum, quæ a Principibus Imp. tenent, juri Territorii utique ſubjiciuntur.

(*) vid. STRUVIUS in *Diſſert. de Allod. Imp. §. XXXVII. XXXVIII.*

Würtenbergicum, Comites Rhenenses, atque Nobiles immediatos, prædia possidentes, ipsorum Status Imperii a Dominio directo subjecta, ad Jus Territorii provocant, atque diversa Impp. privilegia, & consuetudinem aliarum Germaniæ Provinciarum, secundum quæ Vasalli etiam Dominis Territorii ad religionem obsequii teneantur, allegant. Nobiles immediati vel ex suo nomine, jura Imperii patere contendunt, deinde ad diversa privilegia, ab Imp. impetrata, provocant, per quæ soli Imp. reserventur, nec in istis terris subjectionem atque Landsassiatum obtinere, cum a Dominio directo ad jus Territorii argumentum sumi nequeat, eo, quod Vasallagium præstent, non vero homagium, ideoque hæc territoria esse non clausa, & potiora Feuda oblata. Scopus nobis propositus non admittit, ea, a parte una & altera prolata, jam investigare. Attamen, qui plura legere amat, inspiciat *MULTZIUM* in *Repræs. Imp. P. II. C. XXV. membr. V. n. 58.* L.B. de *LYNCKER de Gravam. extrajudiciali c. VI. n. 4. C. IX. n. 3. Vol. I. Resp. XXVII. Resol. DLXXV. Decis. CCCXCII. DCLXII.* & *GOECKEL de jurisdict. p. 7.* qui Principum jurisdictionem in Nobiles immediatos defendunt. Jura vero Nobilitatis & caussam diversis scriptis defendi videmus, quæ congessit *Jo. STEPH. BURGERMEISTER*, vir de hac Nobilitate probe meritus, in *Thesauro Juris Equestris Publici & Privati; Ulmæ, 1718. 4.* Quemadmodum vero facile apparet, ea, quæ per modum *Declarationis* jam in medium protulimus, ad Landsassios, qui exemtionem nullam docere possunt, non nisi applicanda esse; ita nemo facile dubitabit, eadem ad Principes Apanagiatos, utpote *ratione personæ* ab illa Territorii potestate omnino exemtos, minus recte proferri. Atque id saltem statuimus, quod, etsi Apanagiati domicilium in Principis Regentis territorio constituerint, adeoque regioni ejusdem inclusi, tamen præsumtio immedietatis pro iis militet, neque subjectionis argumentum inde recte concipiatur.

XLVII.

Possent vero jurisdictionis Primogeniti in Fratrem Apanagia- *IV.) Refellitur objectio, ex colli-*

I

ntans, Apanagiatos Primogenitos despicere, quando eorundem jurisdictionem infringere velint.

nagiatum assertores IV.) objicere: Apanagiatos vel eo ipso, dum contra jurisdictionem Primogenitorum pugnent, eos despicere, cum tamen lege Primogenituræ fulti, commoda eorundem curent. Ast id sane nil impedit, quo minus Apanagiati Primogenitis debitum honorem, debitamque reverentiam præstent; inprimis, cum sese eorundem jurisdictioni, quoad caussas feudales, subtrahere nec possint, nec audeant; Quæ vero jurisdictio ad caussas & actiones personales, ex contractibus, vel delictis descendentes, extendi nequit. Etenim ille quidem, qui feudum ab alio recognoscit, alteriusque potestati se subjicit, pactis omnino stare debet. Quo tamen ipsa jura Imperii & Imperatoris non labefactantur, neque Imperiali auctoritati & Curiæ quicquam decedit, cum respectu Curiæ Imperialis nihilominus Princeps Imperii immediatus, cum omnibus suis qualitatibus, privilegiis, & Imperii juribus, locum inter cæteros Imperii Principes integre retineat. Non autem statim Princeps, sive alius Imperii Status, qui alteri Principi feudum concedit, ejus fit ordinarius universalis, dominusque domicilii & territorii, sed tantum in feudalibus quæstionibus, ac feudi rationem concernentibus, dominus est & judex, adeoque ordinariam jurisdictionem & universalem in Vasallum non habet, sed duntaxat limitatam, ac ad feudum restrictam, quæ non ulterius prorogatur. Sane si Vasallus in territorio domini non modo feudum, sed & domicilium habet, adeoque larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, ac si in juramento vasallitico simul etiam juramentum subjectionis comprehendatur, tunc persona quoque Vasalli domino feudi subjecta est, ejusque revera subditus. Quæ vero ad Apanagiatum non nisi incongrue applicantur, quippe qui nec juramentum Vasalliticum, nec juramentum subjectionis Primogenito præstat.

XLVIII.

V.) Quid obstat, quando in pactionibus fa-

Quod si vero objiciatur V.) in quibusdam Ordinum Teutonicorum pactionibus familiaribus, ubi de Primogenituræ

turæ ac Apanagii jure cautum fuit, Apanagiatis diserte exemtionem a Superioritate, atque conditionem immediatam fuisse reservatam. Dici itaque possit, in quibus pactionibus statui Apanagiatorum immediato non diserte & expresse fuit cautum, illæ eosdem Primogenitis omnino subjiciunt. Obvertas, clausulas tales, Illustrium testamentis sive pactionibus subjunctas, inanes, ac sine gravi caussa additas extare. Addas, in dubio conjiciendum esse pro Superioritate contra exemtionem, utpote quæ facti sit, & legitima indigeat probatione. Quam recte vero hæc opponi possint, vel ex sequentibus erit perspicuum. Quod ad primam objectionis partem attinet, in quibusdam Ordinum Tentonicorum pactionibus Apanagiatorum conditioni immed. expresse cautum fuisse; illa nihil prorsus probat. Etenim, sive in ejusmodi pactionibus, Apanagiatis conditio immediata fuerit reservata, seu minus, nil refert, cum Constitutiones Imperii eosdem jam pridem a jurisdictione Primogeniti liberaverint; illis vero per pactiones familiares neutiquam derogari possit. Siquidem animadvertere licet, Status Imperii, sicuti per Constitutiones provinciales, (*) ita nec per pactiones,

militiaribus immediatæ conditioni Apanagiatorum diserte fuit cautum.

I 2 seu

(*) Legislatoria enim Statuum Imperii potestas non ex omni parte libera est & illimitata, sed Legibus Imperii subordinata. Distinguendum tamen inter Leges Imperii publicas, & Jus Justinianæum. Istæ vel de publico Statu quidpiam decernunt, vel de caussis saltim civilibus. Sin istud, per Constitutiones Provinciales aliud decerni non poterit. Hinc Adpellationes ad Cameram, ubi nullum adsit privilegium, Lege Provinciali negant, posse prohiberi. vid. ORD. CAMER. *P. II. T. XXVIII. §. 2.* In caussis civilibus vero, in ipsis Legibus Imperii, auctoritas Legum Provincialium stabilitur, secundum quas etiam in Judicio Camerali est pronuntiandum, si modo tenor earundem Actis fuerit adjectus. R. I. *Nov. §. 105. 137. 171.* Quod si vero Lex Imperii universaliter sit lata, abrogatis omnibus legibus & consuetudinibus contrariis, tunc secundum Recessus Imperii saltim pronuntiare Camerales tradunt. Talis est in R. I. Augustano, *de a. 1551. §. 71. R. J. Nov. §. 6.* LUDOLPH. HUGO *de Statu Region.*

ſeu teſtamenta, contra Leges Imperii publicas quicquam decernere poſſe. Nec itaque Apanagiatis, per pactiones, Status immedietatis, contra Conſtitutiones ac Leges Imperii, quippe quæ eundem ipſis diſerte tribuunt, adimi poterit. Ad alteram partem argumenti oppoſiti quod attinet, ſcilicet clauſulas, conditioni Apanagiatorum immediatæ faventes, teſtamentis ſeu Pactionibus Familiarum Illuſtrium ſubjunctas, inanes, ac ſine gravi cauſa additas eſſe; nec hæc ullo nititur fundamento. Probandum enim eſt, clauſulas tales non eſſe claras, in quem finem pactiones Familiarum Illuſtrium ſunt inſpiciendæ. Nulla enim alia ratione inanes poterunt dici. Si enim in pactionibus vel teſtamentis additæ deprehenduntur; ſanenon præſumuntur inanes, ac ſine urgente neceſſitate ſubjunctæ; cum potius de ſeria teſtatoris, ſeu paciſcentium voluntate abunde teſtentur. Et quis quæſo affirmaverit, teſtamentum ſeu pactum ex parte valere, & ex parte non valere poſſe; id ſane abſonum eſt. Regula quippe hæc eſt: Teſtamentum, vel pactum, ſi valeat ex parte, validum etiam eſſe, cæteris paribus, ex toto. Itaque & clauſulæ, quæ eum in finem additæ, ut teſtatoris ſeu paciſcentium voluntatem clariorem reddant, omneque diſſidium inter ſucceſſores avertant, vigorem ſuum, atque validitatem omnino retinent. Memorabile exemplum, ubi Apanagiatis ſingularia jura, quæ alias Primogenito ſolummodo reſervantur, fuere adſcripta, occurrit in Domo Lippiaca. Habentur vero in pacto unionis ſeu ſanctionis Domus Lippiacæ ſequentia verba: *Simon, unſerem anderem*

gion. Germ. C. III. §. *21.* JOH. EHRENFRIED MAYER *de Poteſt. Stat. Legiſlatoria.* Sed vid. THOMASIUS *de Stat. Imp. Poteſtate Legiſlatoria, contra Jus Commune.* STRUV. *Hiſt. Juris C. XIV. LIIX. p. 774.* An vero Lex etiam ultra Territorium obtineat, ſingulari Diſſert. expoſuit DAVID SCHEINEMANN, de *Authoritate Legum Civilium, extra Territorium Legiſlatoris, Tubingæ 1696. 4.* Juri Juſtinianeo vero & Civili per Conſtitutiones contrarias libere præjudicant Status, cujus exempla ſunt quotidiana,

derem Sohne, vermachen wir zu seinem Theil das Hauß Blomberg, Brack, Brantorff mit ihrer Zugehör und Gerechtigkeit, die wir ihm auch, titulo institutionis, besetzen. Otten, dem dritten Sohn, vermachen wir unsern Anparth des Hauses Schwalmberg, darzu Schieder, und das halbe Ammt Oldenburg mit ihrer Zubehörung, darinn wir Ihn zum Folger und Successoren auch instituiren &c. Deinde semissem æris alieni, natu major Bernardus, alterum semissem postgeniti in se suscipere fuerunt obstricti: Præterea hi a partibus sibi attributis homagium accipere potuerunt: *Doch mag ein ieder von unsern Söhnen seine Unterthanen, wie auch bey iedem Hauße angehengter Flecken und Dörffer angehörige, Ihme huldigen laßen.* Ita & A. MDCXIV. convenerat inter eosdem; *daß die abgetheilte Herrn die zugefallne Aembter und Häußer, mit aller hoher und Nieder-Obrigkeit, in bürger- und peinlichen Sachen, haben und gebrauchen sollen.* Sicuti itaque jura, quæ Primogenito in testamento vel pactione sunt adscripta, salva omnino esse debent; ita & ea, quæ secundogenitis tributa sunt, suo valore consistere debent, nec per sinistram interpretationem erunt intervertenda.

XLIX.

Pater in bonis Primogenituræ filio non potest præjudicare.

Cum de pactionibus atque testamentis Familiarum Illustrium, ac Principum Imperii dissferamus, ac, quod ea, quæ tam Primogenito, quam ultragenitis in iisdem tributa, salva utique esse debeant, adstruamus, incidit in mentem, non inepte hic quæri posse: an Pater Illustris de Territorio, quod ad solum Primogenitum spectaret, saltem aliquid decerpere, & in filium natu minorem transferre, sine consensu Primogeniti queat? Ubi, quanquam pro negativa militare videatur textus in *II. Feud. 45.* Primogeniti tamen consensum a Parente requirendum tutius & juri convenientius esse, recte statuit *D. RHETIUS*, idque Palatini Electoris, qui ejusmodi actum non modo Cæsarea confirmatione, sed & Primogeniti sui consensu roborasse legitur, exemplo illustravit in Differt. *de transmiss. territor. Germ. in success. c. 2. num. 30. sqq.* Atque hæc sententia

rationibus suis haud destituta est. Cum enim Imperii Principes atque Vasalli jus, quod habent, succedendi non tam beneficio patris, quam ipsius legis, aut consuetudinis provisione nanciscantur, ultro sequitur, hoc jus a parente, nisi paternæ voluntatis reverentia sponte sua filius eidem acquiescat, liberis pro lubitu adimi non posse; ad hæc feudali investitura, qua Germaniæ plerumque Principum primogenitura fulcitur, non ipsi tantum vasallo, sed & ejus liberis, sive natis, sive nascituris, jus ita quæsitum esse, ut ipsis deinde interverti nequeat, tralatitium est. Subscribunt huic sententiæ ex merito *SPRINGSFELDIUS de Apanag. C.3. num. 227. 228. MULLERUS AB EHRENBACH de Princip. & Stat. Imp. P. I. C. 21. §. 13.* qui hac ratione utitur, quoniam nemo de jure tertii sine illius consensu disponere potest, & vero filius jus radicatum habet ex primogeniti institutione, ac Principatus autore, seu primo acquirente, *TIRAQUELLUS de Primog. qu. 26. num. 4. & quæst. 30. num. 9. KIRCHOVIUS tom. 2. consl. 1. num. 8. COTHMANNUS lib. 3. consl. 14.* aliique apud *MULLERUM*, loc. cit. Consentit itidem Dn. de *LUDOLPH de introd. jur. Primog. aphor. XVI. n. 33. 34. & 35.*

L.

Primogenitis jura eminentiora, in terris Apanagiatorum, omnino competunt.

Licet & hic animadvertere, quod, quanquam Apanagiatis tam in Constitutionibus Imperii, quam in quibusdam pactionibus Familiarum, de immedietate eorundem diserte cautum sit, attamen Primogenitis jura eminentiora plerumque servata fuisse. Nempe Primogenitis Superioritatem Territorialem in terris Apanagiatorum regulariter competere, nisi pactionibus vel testamentis aliter dispositum legatur, jura Primogenituræ nos docent & exempla. Exemplum prorsus insigne in Celsissima Domo Hassiaca conspicitur, ubi conventionalis Apanagii tenor inter alia hic est: *iedoch bleibt biebey alles dasjenige, was zur Landes-Fürstlichen Hobeit und Obrigkeit gehörig, Herrn Landgraf Willhelms Fürstl. Gn. auf deren Gebrüdern assignirten Orthen, wie vorbinn, also nochmals reservirt und vorbehalten* &c. Conf. *des von beyden Fürstl. Hessischen Linien, Cassel*

Cassel und Darmstatt, endlich getroffenen Haupt-Accords, sub dato, Darmstatt, 27. Decembr. 1627. cujus pactio hæc & conventio mentionem facit, ac majorem quoque lucem ei accendere potest. Apanagiatos quoque varia jura in Serenissima hac Domo frustra sibi adrogasse, inter omnes constat. (*) Unusquisque etiam, qui pactiones Domus probe inspicit, facile judicare

(*) Sic, cum Princeps Homburgensis varia sibi jura adsciscere vellet, Serenissimus Landgravius Hasso-Darmstadiensis, a. 1700. in Comitiis Moguntino, cæterisque Legatis ibidem præsentibus, proponere jussit; Principem Hasso-Homburgensem ausum fuisse, ea, in prædio (Deputat-Amt,) Homberg, Serenissimæ Domui per claros Recessus servata, ac hactenus exercita jura eminentiora in dubium vocare. Et cum Serenissimus Landgravius Regens media necessaria adhiberet, ad jura illa tuenda, Princeps Homburgensis quidem ad Judicium Aulicum convolavit, ast ex altera parte, ea, quæ ratione possessorii commonenda, fuere prolata, (cum petitorium, ad Austregas Serenissimæ Domus Hassiacæ spectaret) ac cassatio mandatorum & tuitio possessionis extra omnem dubitationem positæ, fuit petita. Cæterum declaratio, quæ in hac causa, a parte Serenissimi Landgravii Regentis in Comitiis facta, hæc saltem fuit: *Ob zwar diese Sache bey dem Chur-Mayntzischen Directorio nicht hatte angenommen, noch zur Dictatur gegeben werden sollen, so wolte sich doch Hessen-Darmstadt bey ietzigen Erfolg versichert halten, daß man auf des Gegentheils Anbringen keine Reflexion machen, sonden vielmehr denselben unter der Hand dahin erinnern würde, von denen turbationen, und erregten Strittigkeiten, so allen Regierenden Häußern, dafern sich Deputat-Herren* **der Landes-Hoheit anmaßeten, und Mit-Regenten seyn wolten,** *höchst-prajudicirlich wären, abzustehen.* Cum vero nihilominus Principis Homburgensis causa ad Dictaturam pervenerit; Serenissimus Landgravius Regens insuper a. 1700. Mens. Jul. contra hanc fuit protestatus, præsertim, cum causa hæc ad Comitia prorsus non spectaret. Nec memini, Principem Homburgensem in Comitiis adhuc quicquam obtinere, quin potius Serenissimus Landgravius Regens in quieta possessione jurium eminentiorum, in prædio Homberg legitime exercitorum, adhuc est constitutus.

dicare poterit, Principibus Regentibus in eadem, jura eminentiora omnino fuisse servata. Siquidem & hic annotare libet, inter exempla Primogenituræ, pragmaticis Imp. Sanctionibus corroboratæ, inprimis referendam esse Primogenituram Hassiacam, postquam eadem non modo Cæsarea auctoritate, in utraque Hassiæ Domo, Casselana scilicet & Darmstadina, pridem stabilita, sed & publicis Imperii Constitutionibus, (laudabili omnino & in exemplum trahendo Consilio, uti magnus quondam *CONRINGIUS* censuit) corroborata fuit. Quamvis enim privata contrahentium voluntate, anno superioris seculi octavo, jus πρωτοτοκίας in Familia Darmstadina primo introductum sit, brevi tamen a *RUDOLPHO II.* Imp. confirmatum id fuit, sicut non modo ipsum Primogenituræ pactum, sed & Cæsaream confirmationem exhibet D. *SPRENGERUS* in *Lucern. Imp. c. 2. p. 190. sqq.* jung. ejusdem *Ellychn. pag. 435.* Postea inter Casselanam & Darmstadinam Domum, sopiendis quibusdam dissidiis, anno 1627. pactio inita (vulgo *der Hessische Haupt-Accord* appellatur) & a Cæsare confirmata fuit, ubi tum alia tum etiam hoc conventum est, vers. *Zum acht und zwantzigsten:* Ut in Casselana non minus atque Darmstadina Linea, unus saltem (adeoque in universa Familia, non nisi duo) Imperii habenas moderetur, *daß bey ieder Linie nur ein einiger Regent seyn solle*, quæ omnia prolixius & distinctius ex ipsis Conventionum tabulis, ipsaque Cæsarea confirmatione, apud *SPRINGSFELDIUM de Apanag. Cap. VI. num. 3. & Cap. V. num. 62.* cognoscere licebit. Denique in vim sanctionis Pragmaticæ, in utraque Domo Primogenituræ jus valere jussum est, in Instrum. Pacis Osnabrugensis *Art. XV. §. 15.* Sed ne sic quidem omnis contentionum materia sublata penitus est, sed variis telis jus πρωτοτοκίας in familia Darmstadina, statim post conclusam Pacem, scriptis quibusdam oppugnatum fuit, & inter alia quoque scriptum, anno 1649. editum sub titulo: *Kurtzer Begriff, wie es um die Zusprüch bewand, die Herr Landgraf Johanß zu Hessen Fürstl. Gnaden an dero Herrn Bruder Herrn Landgraff Georgen zu Hessen Fürstl. Gnaden, wegern*

gen Abtheilung der Fürstl. Hessen-Darmstättischen in 1626. Jahr auffgeflammten Fürst-Väterlichen Verlassenschaft zu thun befugt seyn. Ubi Auctor non modo variis rationibus primogenituræ jus in Familia Darmstadina non esse receptum contendit, sed & ad partis adversæ argumenta singula respondere, sed frustra annititur. Tandem Primogenitura illa Hassiaca, submotis omnibus adhuc agitatis litigiis, novissimo Imperii Recessu, *de Anno 1654. §. Demnach auch in dem 188.* denuo repetita & confirmata fuit. Exemplo hoc paulisper exposito, unum adhuc adducam, quod probat, Primogenito jura eminentiora in terris Apanagiatorum ut plurimum servari. Atque hoc Domus Lippiaca suppeditat. In pactione enim fraterna, *Brüderlichen Vertrag* A. MDCXVI. ita statutum est: *daß die hohe Landes-Obrigkeit, vermöge der Elterlichen Disposition, bey Graf Simons Gnaden, als dem erstgebohrnen und regierenden Herrn, davon die auch durchaus nicht kan abgesondert werden, verbleibe.* Et in alia, A. MDCXXI. eam subsecuta: *die Superioritat und Landes-Hoheit, auch, was deren allenthalben in Geist und Weltlichen Sachen anhängig, anreichend, verbleibet dieselbe bey Graf Simon, und ihrer Lbd. Erben, laut und Einhalts vorerwehnten Vätterlichen Testaments, und darauf erfolgten Verträgen.* Plura exempla addere nil refert, cum vel hæc de consuetudine, in Imperio Romano-Germanico recepta, testari queant. Verba tamen, quæ Perillustris SECKENDORFIUS in Part. II. *des teutschen Fürsten-Staats p. m. 67.* hac de re edisserit, apponere non pigrabor; ibi: *Bey denen teutschen weltlichen Fürstenthümern und Landen ist dieser merckliche Unterscheid wohl in acht zu nehmen, daß bey vielen, wenn der Landes-Herr etliche Söhne und Erben verläßt, dennoch keine Theilung vorgeht, sondern die Regierung der Lander ingesampt behalten wird, und allzeit dem Erstgebohrnen allein zukommt, dergestalt, daß er seinen Brüdern, und deren Nachkommen, entweder ein bloßes Geld zu jährlichen Unterhalt, oder etwas an Aemptern und Herrschaften zu nutzen eingiebt, und sie*

also von Lande abtheilet und abfindt, sich aber alle Landes-Fürstliche Hoheit darüber vorbehält, oder doch nur etliche wenige Stücke, welche die Regierung an sich selbst nicht angeben, noch beeinträchtigen, ihnen verstattet, alsdenn insonderheit bey den Churfürstenthümern, und denen darzu eigentlich gehörigen Landen, durch die Reichs-Satzungen es also verordnet, in andern aber durch Herkommen, oder gewisse Pacta und Privilegia also gebräuchlich ist. Et consultius omnino esse, si Primogenitus Superioritatem Territorialem in terris retineat, idem censet in Addit. *des teutschen Fürsten-Staats p. 80.* ibi: *In Landen, wo der erstgebohrne allein die Landes-Hoheit hat und übet, kan man ohn allen Zweifel in wichtigen Dingen viel schleuniger fortkommen, auch mehr Nachdruck zur Execution haben, als wo erst der Senior mit den anderen Herren Interessenten communiciren, und per majora schliessen muß; zwar wo eine Sache Verzug leidet, als denn in friedlichen Zeiten bey den meisten gleichwol geschiehet, da scheinet es könne aus der Communication und darzu gehöriger Zeit nicht allein kein Ubel entspringen, sondern auch mancher guter Gedancke denen an der Wohlfart der gesampten Lande interessirten Fürsten eröffnet werden. Hingegen aber, wo gefährliche kriegerische Zeiten einfallen, oder in schweren Staats-Sachen grosse Geheimhaltung und tapfere förderfamme Anstalt erfordert wird, da könne der Verzug die Gefahr der Entdeckung der Widersinn und Studium contradicendi, das sich inter plures leicht ereignet, unwiederbringlichen Schaden verursachen. So pflegen auch vertheilte Herren offt nicht mit gnugsamen Räthen und Bedienten versehen zu seyn; und können die Acta und Urkunden nicht wohl alle haben, also, daß leicht Impertinentien, oder blosse generalia in dero Gutachten fürkommen möchten; dahero sind behutsamme Wege zu ergreiffen, und ist auf mancherley Umbstände zu gedencken, wenn in einem solchen Regiment das gemeine Wohlwesen mit gutem Gedeyen behauptet, und das Aufnehmen, Ehre und Nutzen des Fürstenthumbs erhalten werden soll. &c. &c.*

LI.

LI.

In quibusdam Familiis Conventiones de jure Primogenituræ juramento sunt confirmatæ.

Quilibet idcirco, hisce paulisper consideratis, videbit, nos id tantum adserere, quod, sicuti Primogenito jura eminentiora plerumque solent servari, ac salva esse debent, ita & Apanagiatum ea, quæ conditioni ejus immediatæ favent, in pactionum tabulis forsan consignata, omnino retinere. Salva enim cuilibet ac illibata jura sua sunt relinquenda. In quem finem etiam in quibusdam Familiis conventiones atque Statuta de jure Primogenituræ juramento fuere confirmata; ideo, ut sancte omnia, quæ in illis sunt sancita, servari debeant, nec Principibus Regentibus, nec secundogenitis, de juribus suis ac prærogativis quicquam possit derogari. Sufficit etiam, quod alibi Illustres compaciscentes, vel si a Parente introductum jus Primogenituræ filii solemni formula: *bey Fürstlichen Ehren, Treu und Glauben, an würcklich geschwohrner Eydes statt*, pacto aut dispositioni paternæ se staturos invicem, spoponderint. Nimirum a jurejurando actus valorem suum non habet, neque novam producit obligationem, sed eam, quæ in se valida est, vinculo accessorio confirmat. Cum enim jurejurando accedente aliquid promittitur, divinum judicium & vindicta provocatur, si promissum non fuerit præstitum, supponitur itaque obligatio, quam non adimplere alias etiam foret illicitum; Conf. PUFFENDORFIUS *L. IV. I. N. & G. C. 1. §. 6.* Concluditur hinc, ad introducendum jus Primogenituræ non requiri juramentum, ita, ut eo vinculo non accedente, pactum aut statutum non foret obligatorium. Interim, ut tanto majori vi nitatur, utiliter adhibetur. Veteres Germani, inprimis Principes Viri, ignominiæ sibi duxissent, si in fidem promissorum jusjurandum deposcere quis ausus fuisset. Tanta erat in verbis & dextris fiducia! Et dignos se Germana prosapia exhibent Illustres Personæ, quarum dictis & promissis, etiam non juratis, fides sua atque integritas constat.

LII.

In dubio præsumendum quidem pro superio-

Ad ultimam partem argumenti supra oppositi quod attinet, nempe in dubio præsumendum esse pro superioritate

ritate Territoriali. Ast eadem conditioni Apanagiatorum immediata non officit. Territoriali, paucis commoneamus par est, hanc quidem thesin in reliquis, subjectionem subditorum concernentibus, omnino procedere. Ast ea Apanagiatorum conditioni immediatæ non officit, cum graviores extent rationes, cur Superioritas Territorialis ad subjectionem personarum eorundem proferri haud possit. Præsertim vero eo in casu minus objici poterit, si in pactionum tabulis statui Apanagiatorum immediato diserte cautum fuerit. Hac enim in parte Superioritas Territorialis limitibus suis omnino est circumscripta. Conf. *JACOB ARETINUS in l.non possunt in 2. lect. de legib. PAURMEISTER lib. II. de jurisdict. c. 9. n. 119. & sqq.*

LIII.

VI) Argumentum, subjectionem Apanagiatorum affirmans, ab uxore Illustri, utpote a lege subjectionis Territorialis nullibi excepta, derivatum. Denique pro asserenda Apanagiatorum subjectione argumentum ab uxore Illustri derivatur, utpote quæ a lege subjectionis Territorialis nullibi sit excepta. Ex paritate vero rationis Apanagiatos eandem jurisdictionem debere agnoscere forsan dicas, cum eadem ratio, quæ maxime Uxores Illustres subjiciat, in domicilii constitutione consistens, in illos probe quadret. Sed quilibet omnino videt, ab uxore illustri ad Fratrem Apanagiatum male argumentum duci. Maritalis enim potestas apud Principes Germaniæ omnino latius est protensa, quam jurisdictio in Fratres. Vinculum quoque conjugale multo arctius est, quam illud, quod inter Fratres intercedit, quippe qui *ratione personæ* Principes Imperii sunt, ac iisdem prærogativis fruuntur, quibus gaudent Primogeniti. Præterea, si altius rem indagare velimus, omnino existimamus, defendi posse, Principem Imperii omnimodam jurisdictionem erga Uxorem illustrem exercere haud posse; quanquam huic sententiæ non ex omni parte subscribere velimus, haud immemores, argumenta quoque haud exigua pro illa Principum Imperii jurisdictione in uxorem illustrem tuenda, deprehendi, præterea inconsultum nimis esse, in re nondum evicta aliquod ferre judicium, eoque jura Optimatum Imperii eximia ausu temerario infringere. Nos interea ea, quæ pro negativa

tiva faciunt sententia, paucis exponamus; deinde Auctorum rationes, quas pro affirmativa proferunt, adducamus, judicio ceteroquin tota de re Benevolo Lectori, ejusque exacto judicio, plane relicto.

LIV.

Quæritur itaque: *An Principi aut Statui Imperii erga uxorem Illustrem jurisdictio competat omnimoda, ut eam vel arrestando, vel incarcerando, explicare possit?* Pro negativa vero sententia sequentia, quæ in Autoribus hinc inde conspexi, militant argumenta: 1.) Quia uxor per conjugium non effecta fuerit ut serva, vel subdita, sed ut socia, unde etiam in Jure Civili uxor socia appellatur, in *l. 1. π. de rit. nupt. l. adversus 4. C. de crim. expilat. heredit.* quæ societas eam quodammodo Dominam efficit. Ita maritus apud *SCAEVOLAM* uxorem suam in testamento *Dominam* vocat, in *l. uxorem, 41. in pr.* ibi: *Peto a te Domina uxor. π. de legat. 3.* Immo uxor in *l. titia, 19. §. 1. π. de annuis legat.* Domina *sanctissima* appellatur, in verbis, ibi: *Domina sanctissima, scio, te de amicis meis curaturam, ne quid his desit.* ubi *GOTHOFREDUS* annotavit, quod Matronæ dicantur Dominæ, non tantum maritis suis comparatæ, *Novell. 74. c. 4. l. fin. §. 1.* ibi: *Sempronia, Domina mea; π. de auro legat.* sed etiam ex sese; *l. 38. §. 4. π. de legat. 2. GOTHOFR. add. l. titia. n. 1. § 1. lit. B.* Hinc lex civilis matrimonium eo honore dignum putavit, ut ob personarum reverentiam turpem actionem furti erga uxorem, tanquam injuriam dare noluerit, *l. 1. & 2. π. rer. amot.* Non enim *ex pede* extracta est mulier, ut sit serva, & ad pedes projici debeat, sed ex *costa* & latere, ut lateri adhærens socia foret mariti, secundum *Gloss. in cap. nec illud, cap. 33. quæst. 5.* Romani quippe sponsam in mariti domum deductam sic loqui jubebant: *Ubi tu Cajus, ego Caja. PLUTARCH. in Problem.* Unde *ARISTOTELES lib. VIII. Ethic. cap. 10. & 11.* regium imperium attribuit patri in filios, Aristocraticum marito in uxorem, quo respexit *MACROBIUS in Saturnal. lib. 1. cap. 15.* in fin.

Quæstio: An Principi Imperii jurisdictio in Uxorem Illustrem competat?

dum tradit: *Primus dies nuptiarum verecundiæ datur, postridie autem nuptas in domo viri dominium incipere oportet.* HENNING. ARNISAE. *de jur. Connub. c. 7. sect. ultim. num. 38. & sqq.* II.) Quod certi juris sit, regulariter parem in parem, vel socium in consocium, nullum dominium, nullamve jurisdictionem habere aut exercere posse; juxta *l. nam magistrat. 4.* ibi: *pari imperio nullo modo cogi possunt. π. recept. arbitr. l. illa, a quo. 13. π. ad Senat. Trebell.* FELIN. *in capit. quod super X. de major. & obed.* MENOCH. *Consil. 250. num. 40. lib. 3.* Principis enim Imperii uxor non minus est persona Imperii immediata, quam ipse Princeps maritus; Nam si a natalibus immediata existit, per conjugium immediata permanet; sin vero minus immedietatem a parentibus acceperit, immediata persona mediante conjugio efficitur, ac mariti forum immediatum acquirit. Hinc BALDUS dicit, matrimonium transferre originem mulieris in originem mariti, seu quod origo viri det jus novæ originis uxori, & quod uxor dicatur proprie & vere effecta naturalis & originaria loci sui mariti; BALDUS *Consil. 351. num. 8. lib. 1.* late, *Joann. Mar. Novarr. de election. for. sect. 3. quæst. 3.* per tot. Quia per matrimonium unitur viro, & unitorum eadem est conditio & natura. Etenim, vir & uxor efficiuntur una caro, vel substantia, in duabus personis, propter conjugii unionem; & in unitis majus vel dignius ad se trahit minus dignum, ac illud obumbrat. Ideo mirum non est, si Conjux illustris in foro mariti agere, vel etiam, cum partes rei sustinet, se defendendo, litigare cogitur, prouti censet *Wibel de Contract. mulier. cap. 2. n. 52.* Merito igitur actorem, sive is extraneus, sive ipse Princeps maritus fuerit, in caussa Uxoris Illustris, Judicem competentem, Cameram Imperialem, vel Austregas, secundum qualitatem Caussæ, adire teneri, autumant. Proinde in Imperio Romano-Germanico usitatum esse censent, ut, si Princeps aut Comes Imperii uxorem suam, ultra dignitatem, durius, quam par est, corrigat, eamque verberibus indignis afficiat, Imperator, ad partis instantiam, officium suum interponat; Id

quod

quod hoc illustrant exemplo. Cum enim Princeps Georgius Joannes, Comes Palatinus de Luzelstein, uxorem suam Susannam, Familiæ Palatinæ, Lineæ Neoburgicæ, durius quam par erat, & quidem sæpius reiteratis (uti tunc fama erat) verberibus tractasset, adeo, ut illa a marito divertere coacta fuerit, Cæsarea Majestas, Ferdinandus III. A. 1641. Commissionem ad cognitionem & reconciliationem decrevit, quæ tamen sine effectu in suspenso permansit, usque dum morte ambarum partium lis hæc diremta fuerit. Atque incongruum esse existimant, si Princeps in propria causa contra conjugem judicare, & pro lubitu Consistorium constituere, ac huic potestatem lites subortas dirimendi largiri velit. Absonum itidem esse putant, quod Principis Consiliarii, utpote domestici, adeoque pro suspectis habendi, in caussa contra conjugem sententiam pronuntiare debeant. Quæ præsertim obmota, ac pro tuenda sententia notata sunt in commentatione, quæ inscribitur: *Hertzog Carls zu Mecklenburg-Mirow publicirte Deduction, wegen der von seinem Herrn Bruder, Hertzog Christian, zu Mecklenburg-Schwerin, vorgenommener Ehescheid, und anderweiter Vermählung mit der Duchesse de Chatillon, 1664.* quæ reperitur apud *LUNIGIUM* Tom. II. *Der Grundfeste Europäischer Potentzen Gerechtsamme.* Verba vero, quæ huc pertinent, hæc sunt: *Es haben die niedergesetzte* (Fürstliche Räthe) *weder propriam noch delegatam jurisdictionem gehabt. Propriam jurisdictionem werden sie Ihnen verhoffentlich nicht anmassen, als denen über Fürstliche Personen propria auctoritate zu judiciren, gar nicht anstehet; Und wird Unsers Bruders Lbd. Selbst ihren Dienern und Unterthanen über sich und Dero Gemahlinn, proprio jure zu judiciren nicht gestatten; wenn er aber delegatam jurisdictionem prätendirt, so kan dieselbe von niemand anders als von unserm Bruder selbst, tanquam parte, delegirt seyn; Ist demnach Seine Lbd. in propria causa Judex gewesen, zumal non tam delegatus quam delegans pro judice zu halten, juxta vulgatam regulam: Quod quis per alium facit, ipse fecisse putatur. Wenn aber Se. Lbd. in ihrer eigenen Sache nicht*

Rich-

Richter seyn können, als welches wider die Natur selbst streitet, auch über der Gemahlin Fürstl. Person, wenn dieselbe schon a tertio belanget wäre, keine jurisdiction gehabt, also dieselbe in propria causa ihr vielweniger anmassen können, so wird nothwendig folgen müssen, daß Se. Lbd. jurisdictionem, die sie selbsten nicht gehabt, andern nicht auftragen können, oder die bekandte Regul müste Abbruch leiden: quod nemo plus juris, quam ipse habet, in alium transferre possit. Paullo post: *Und den Fall gesetzt, daß Se. Lbd. jurisdictionem Consistorialem & Ecclesiasticam in solidum gehabt hätten, allermassen andere protestirende Fürsten und Stande des Reichs haben, so hätten sie dennoch dieselbe in propria causa contra propriam conjugem nicht exerciren können. Denn es erstreckt sich die jurisdictio nicht weiter als auf die Unterthanen,* unter deren Zahl aber die Gemahlinn nicht gehört. *Gleichwie demnach nicht folget, Princeps habet jurisdictionem Civilem, ergo etiam in propria causa contra propriam conjugem habet: also folget auch mit nichten: Princeps Augustanæ Confessionis habet jurisdictionem Ecclesiasticam, ergo etiam in propria causa contra propriam conjugem exercere potest. Item, folget nicht: Princeps Augustanæ Confessionis potest constituere Consistorium in caussis matrimonialibus subditorum, ergo etiam in propria causa, quam cum conjuge habet, pro lubitu Consistorium formare potest. Denn da heist es billig: Par in Parem non habet Imperium; item, qui jurisdictioni præest, neque sibi jus dicere debet, neque uxori. item, ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. Si jus autem dicere non debet, ergo nec judicem dare, cum jurisdictio sit etiam judicis dandi licentia.* Porro: *Zudem ist Rechtens, daß, etiam in foro alias competente, judex suspectus niemanden wider seinen Willen könne aufgedrungen werden. Wenn denn die domestici, und sonst alle diejenigen, quibus ab adversa parte imperari potest, in den Rechten pro suspectis gehalten werden; und aber alle die von Unsers Bruders Lbd. anmaßlich bestelte Richter ihre Diener, geheimbde und andere Räthe, und Unterthanen gewesen*

wesen &c. &c. Posteaquam itaque in deduct. hac multis defensum fuit, Consistorium Principis in causa contra conjugem judicare minus posse, utpote hujus jurisdictioni haud obnoxiam, potius ejusdem forum incompetens merito notari; asseritur denique, controversias & lites inter Principem maritum & conjugem subortas, a Cæsare dijudicandas, ac consequenter in Senat. Imper. Aulico dirimendas esse. Atque verba, quæ ibidem deprehenduntur, id diserte tradunt, ibi: *Solte etwann in einem oder anderm beyläufigen Puncto die Sache zu Ihro Kayserl. Majest. Jurisdiction, legitimo modo, kommen, so werden Dieselbe anders nicht, als cum debita Causæ cognitione, citatis & auditis partibus, etwas verabscheiden.* &c. &c. it. *Es wird alsdenn solche causæ cognitio nirgends anders als im Kays. Reichs-Hofrath geschehen können: denn es haben die Kayserl. Majest. in Dero Wahl-Capitulation sich dahinn herausgelassen, daß Sie in Sachen, so præviam causæ cognitionem erfordern, mit Kayserl. Decretis nicht einmal aus dem geheimbden Rath iemanden beschweren lassen wolten. In dem Kays. Reichs-Hofrath selbst wird keine causæ cognitio anders als nach Ordnung der Reichs-Satzungen, und insonderheit, vermöge des Münster- und Osnabrückischen Friedens-Schlusses, æquali Assessorum numero utriusque religionis (weil nunmehro die Sache unter Catholischen und Protestirenden versiret) geschehen können.* Verba Deduct. ideo h. l. apponere voluimus, ut quilibet perspicere possit, quæ rationes potissimum dissuadeant, cur Princeps in propriam conjugem jurisdictionem exercere minus possit; ac iisdem rite perpensis, L. B. judicium exactius ferre possit. Citant vero sententiæ hujus defensores & Acta Publica, utpote quæ testantur, Imperatores olim hoc jus exercuisse. In quem finem provocant ad exemplum Henrici Aucupis, ad Conradum provocantis, de quo *DITHMARUS l. I. p. 325.* „ita scribit: *Hic*, (Sigismundus) ut perpetrati facinus con„nubii primo audivit, ovium suarum culpam ingemuit, & ali„quam inter se fieri amplius commixtionem, per internun„cium & per epistolam, Banno Apostolicæ autoritatis inter-

„dicens, ad condictam ambos Synodum vocavit. Henricus „tali rumore turbatus, ad Imperatorem properavit, omnem„que indicans ei rem ordine, auxilium ejus petivit, & quia „familiaris ei fuit, & patris commisso ac fideli servitio impe„travit. Nam Legato ad Antistitem concite directo, ut vin„ctos solveret, & ad suimet præsentiam differret, postulavit.„ Allegant porro exemplum *LUDOVICI BAVARI*, qui non solum in gradibus prohibitis, inter *LUDOVICUM*, Marchionem Brandenburgensem, & Margaretham, Carinthiæ Ducissam, dispensavir, sed etiam divortii sententiam tulit, quæ postmodum a Papa & Episcopis fuit adprobata. Extat sententia divortii apud *FREHERUM Tom. I. p. 620. LUNIGIUM Fortſ. der II. Contin. p. 5. STRUVIUM* S. H. G. *diſſ. XXVI. §. XXXII.* Denique novissimum afferunt exemplum, quo Cæsari jurisdictionem in caussis matrimonialibus vindicare satagunt. Etenim haud ita pridem mota fuit controversia inter *CAROLUM LEOPOLDUM*, Megapolitanum, & Sophiam Hedvvigem, Nassovicam, in qua a. 1710. ab utraque parte ad Consistorium Pomeraniæ, quod Gryphisvvaldiæ est, fuit compromissum, quod etiam ex capite impotentiæ sententiam divortii fecit, recepta arrha & restitutione utrinque illatorum. (Extat Ducissæ Compromissum & sententia Compromissi apud *LUNIGIUM* Fortſ. der II. Contin. p. 627.) Dum autem Ducissa huic Laudo acquiescere nollet, potissimum vero alimenta, quæ ipsius dignitati convenirenr, postularet, *ideoque Cæsarem hac in causa adiret, a Judicio Aulico decreta fuit Commisſio* in Ducem Saxo-Gothanum, atque Hassiæ Landgravium, per Conclusum d. 21. Novembr. 1712. publicatum. Ejusdem vero est tenoris: *Fiat Commisſio auf den Herrn Hertzogen zu Sachſen-Gotha, und Herrn Landgrafen zu Heſſen-Caſſel, cum incluſione exhibitorum, reſcribaturque eidem die vvahre Beſchaffenheit derer in beykommenden Einſchluß vorgeſtellten ſonderbaren Umſtande genau zu erforſchen, und befindlichen Dingen nach, mit allem Fleiß und Sorgfalt ſolche Vorſchläge auszufinden, vvodurch beyde Fürſtliche Perſonen zu Chriſtlicher beſtändiger Vereinigung vvie-*

der

der gebracht werden mœchten. Da aber, wider Vermuthen, aller Versuch eines gütlichen Vertrags fruchtlos ablauffen solte, über die eigentliche Bewandniß der Sachen, und aller derselben Umstände gehaltenes Protocollum, nebst ihren, denen in dergleichen Fällen eingeführten unzweifelhaften, und bey denen Consistoriis und Theologischen Facultäten Augspurgischer Bekäntniß zugethanen Stände, üblichen Principiis gemäß abgefaßte rechtliche Gutachten einzuschicken. Et licet Dux caussam hancce per Gravamen ad Comitia deferret, contradixit Ducissa, propterea quod potissimum de alimentis ageretur; usque dum inter ipsos de iisdem etiam conveniret. Prodiit in hac causa: *kurtzer und deutlicher Beweiß, daß Ihro regierende Hoch-Fürstl. Durchl. zu Mecklenburg, mit gutem Fug Rechtens, zu einer Vermæhlung schreiten.* Cui vero oppositæ: *Zufällige Gedancken über den so genannten Beweiß.* Ajunt itaque, cum ex hisce exemplis satis perspici possit, Imperatores jam olim jus pronunciandi in caussis matrimonialibus Statuum Imperii exercuisse, nullæque rationes dissuadeant, cur ipsi & hodie idem sibi vindicare haud possint; Imperatori utique adhuc legitime competere. Ac, sic vel ad Judicium Aulicum spectare, vel ad Cameram, aut ad Judicium Austregarum, quarum jurisdictio in civilibus saltim sit fundata, opinantur. Qui vero potiora argumenta, pro Imperatoris potestate in hac parte militantia, legere amat, consulat omnino *GUIL. OCCAM* in Tract. *de jurisdict. Imperatoris in caussis matrimonialibus*, qui extat apud *GOLDAST. Tom. I. Monarchiæ, p. 21.*

LV.

Expositis itaque hactenus argumentis, quæ Imperatori jurisdictionem in caussis matrimonialibus Statuum Imperii vindicant; illorum quoque momenta, quæ pro Principum Imperii potestate hac in parte faciunt, in medium adducere fas est. Inter antiquiores vero, qui hac de materia disseruerunt, omnino referendi sunt *ANTON. GUIB. COSTA de dote cap. 5. n. 8. & sqq. & RENAT. CHOPPIN. de Domanio lib. 3. tit. 5.*

Momenta, quæ pro affirmativa faciunt, recensentur.

tit. 5. n. 5. qui rationes in contrarium varias proferunt. Inter recentiores vero complures conspicias, quibus saltem contraria sententia arrisit. Hi vero inprimis sunt: *COCCEIUS*, *VITRIARIUS*, *LINCKIUS de Immediatorum Protestantium foro in caussis matrimonialibus, Altdorfi. 1680. JACOB. FRIDERICUS LUDOVICI de Judice in caussis Principum Protestantium Matrimonialibus, Halæ 1702. L. B. de LYNCKER* (*) *de Libert. Stat. Imp. p. 39. KEMMERICHIUS* L. VII. C. XVI. J. P. *de Subjectione Territoriali §. XX. Autor der Facti Species, nebst beygefügten Bedencken, warum sich ein vornehmer Churfürst des Heil. Röm. Reichs von seiner Frau Gemahlinn Ursach zu scheiden habe, a. 1697.* ap. *LUNIGIUM Staats Consiliis Tom. II. p. 573.* & reliqui, quos hic commemorasse omnes nil refert. Opponunt vero præsertim, quod uxor non socia sit regiminis, ac quod ita se gerere soleat Princeps maritus, ne suspicionem incurrat, ut Consiliarios suos, ad directionem Processus deputatos, a juramento absolvat, & acta ad peregrinos, quo secundum ~~eadem pronuncient~~ sententiam, transmittat. Ac eo nititur potissimum sententia momento, quod inprimis persequitur antea cit. *LINCKIUS*, Principem vel suo vel alieno Consistorio se hac in caussa subjicere posse. Attamen, dum nihil adhuc definitum, diversa etiam a diversis proponuntur. Quidam Pontifici hoc reliquum esse putant, dum in rebus dogmaticis Protestantes saltim a jugo Papali facti fuerint immunes, cum tamen nulla ratione Papam agnoscant tanquam Judicem in Ecclesiasticis, ab ejusdem etiam jurisdictione per Pacem Westphalicam (*) fuerint

(*) Imo Nobilem etiam immediatum, adhibito Judicio Prudentum, ab uxore desertrice solutum esse, atque aliud vinculum posse contrahere, respondit Facultas Theologica & Juridica Jenensis, apud eundem L. B. de LYNCKER, *Vol. 1. Resp. XIV.*

(*) *Art. V. 48. Jus Diœcesanum, & tota jurisdictio Ecclesiastica, cum omnibus suis speciebus, contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes, Status* (comprehensa libera Imperii Nobilitate,) *eorum-*

rint liberati. Immo hoc ipſum dogmata concernit, dum Papa hoc Jus ſibi ſumeret ex prætenſo Jure Capitis Eccleſiæ. Alii partem innocentem propria auctoritate vinculum matrimonii, ob adulterium, vel malitioſam deſertionem, dirimere poſſe exiſtimant. Alii propoſuerunt, optimum eſſe, ſi unanimi Proteſtantium conſenſu commune conſtitueretur Conſiſtorium, ad decidendas has Proteſtantium cauſſas. (**) Verum,

L 3

eorumque ſubditos, tam inter Catholicos, & Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanæ Confeſſionis Status, usque ad compoſitionem Chriſtianam diſſidii religionis, ſuſpenſa eſto; & intra terminos Territorii cujusque Jus Diœceſanum & Juriſdictio Eccleſiaſtica ſe contineat. Quare etiam, cum in cauſſa Divortii Chriſtiani Mecklenburgici Bullam Papa promulgaſſet, contra illam Status Evangelici proteſtati fuerunt, atque a Cæſare petierunt, ut illam æque ac Cæſaris confirmationem aboleret, de quo FRITSCHIUS in *Electiis C. X.* DIAR. EUROP. *Tom. XI. p. 527.*

(**) Quibus iſta diſplicent, *deciſionem decreto Comitiali* committunt, aut *commune judicium, vi coactiva inſtructum, Statuum Proteſtantium conſenſu erigendum,* ſvadent, ceu pluribus recenſet SCHWEDERUS *I. P. c. 17. §. 23. 29. ſqq.* Sed rurſus opponunt *deciſionem comitialem* tempeſtive ſatis haud poſtulari; quando enim ex inductione conſtet, quod nullibi Status Proteſtantes in matrimonialibus conveniri queant, tum quæſtio ſatis deciſa ſit, nempe, *eos nullum habere judicem;* fruſtra igitur in quæſtione deciſa deciſionem poſtulari. Ajunt porro: Videri, qui iſta poſtulant, velut indubiam hypotheſin præſupponere, *Status in omnibus negotiis judices habere debere,* cujus tamen neceſſitas nullibi compareat, ſed indoli Status magis *libertas,* quam *ſubjectio* conveniat. Ex quo etiam liquere poſſe cenſent, quam inconſultum ſit eorum conſilium, qui *judicium coactivum erigi* ſuadeant, nam hoc nihil aliud eſſe, quam conſulere, ut Status ſumtus faciant, quo deterioris ſint conditionis, ſeu ex claſſe Imperantium ad ſortem ſubditorum demittantur. Hinc eo totam rem redire *addunt:* ſicut in cauſſis eccleſiaſticis ſtatus habeant. quoad ſubditos, imperium ἀνυπεύθυνον, ita ipſi in iis plane

rum, dum tale vix ſperandum erit, ad exempla provocant, quibus ſatis edoceri poſſe cenſent, quid hac in re hucusque fuerit uſitatum. Primum allegant in Domo Saxonica, dum Jo. Caſimirus, Dux Coburgenſis, Annam, uxorem ſuam, adulterii incuſaret. Certi nempe ad cauſam examinandam conſtituti fuere Conſiliarii & Conſiſtoriales, qui fide ſua in Principem hac in cauſa liberati, ſententiam divortii pronuntiarunt. vid. *MULLERI Ann. Sax. ad a. 1593.* Alterum exemplum adducunt in eadem Domo Saxonica, a 1690. dum ſententia Divortii per Theologos atque Jureconſultos Jenenſes fuerit pronuntiata, vid. *MULLERI Ann. Sax. ad a. 1690.* Tertium divortii exemplum proferunt in Domo Brunſvico-Luneburgenſi, dum *d. 28. Decembr. 1694.* divortii ſententia a Conſiſtorio lata, *EUROP. HEROLD, P. I. p. 319.* Quæ exempla de more hodierno ſatis teſtari, autumant. Reliquas forte, quæ reſtant, ſingulorum rationes hic fuſe recenſere, inſtituti refragatur rationi. Et quilibet ex hiſce enarratis ſatis perſpicere poterit, quibus potiſſimum fundamentis ſententia hæc ſit ſuffulcita: Attamen non pigrabimur, *FURSTENERII* ſeu Leibnizii rationem, qua cauſam Principum Imp. defendere ſatagit, his apponere. Ita vero in Tr. *de Jur. Supremat. Cap. XXVIII.* in fin. diſſerit: „denique, quod, ut ſupra monuimus, „Principes ſaltem Proteſtantes nullum in matrimonialibus „cauſſis judicem agnoſcunt, id nullam aliam rationem habet, „quam quod perſonæ Principum ſint liberæ, ideoque in iis, „quæ mere perſonalia ſunt, qualis eſt matrimonii obligatio, „non niſi conſcientiæ vinculo obſtringi poſſunt.„

LVI.

Quando de Matrimonii accidentalibus con-

Verum enim vero, quanquam jam ſupra declaravimus, nos in hac cauſa, utpote dubia, judicium minus ferre poſſe, neque

ne ſint ſui juris; Orta itaque controverſia, nihil aliud ipſis eſſe agendum, quam ut Viris cordatis ac non ſuſpectis litem ſubmittant, quo jus partium declarent, executione cæteroquin ad ipſum Statum ſpectante.

neque illud adhuc nobis adrogare: attamen ſine criminis nota affirmaverim, cauſſas matrimoniales ſaltim eſſe diſtinguendas. Nempe in judicio contentioſo agitur de ipſo matrimonii vinculo, vel conſtituendo, vel diſſolvendo, vel de matrimonii ſaltim accidentalibus, utpote de dote, donatione propter nuptias, alimentis, ſævitia mariti, & ſimilibus. Fac itaque, diſtinctionem hic eſſe admittendam, & liceat adſtruere, in ultimo caſu coram Auſtregis & Tribunalibus Imperii cauſam agi poſſe, dum mere ſit civilis. (*) Atque hæc Duciſſa proponebat in cauſſa Mecklenburgica an. 1664. vid. *DIAR. EUROP. P. XI. p. 548.* ibi: *Weil man noch zur Zeit in ſolchen Terminis nicht verſiret, darüber ein geiſtliches Gericht cognoſciren könte; maſſen unſere Streitigkeiten das Vinculum Matrimoniale an ſich ſelbſt nicht, ſondern nur zeitliche Güter, ſævitiam maritalem, Beſchützung wider Gewalt, und Verſchaffung der Alimenten, betreffen.* Antea vero proteſtata fuerat contra Judicium Miniſtrorum Sverinenſium apud *LUNIGIUM Fortſ. II. Contin. p. 561.*

tenditur, coram Tribunalibus Imperii cauſam agi poſſe ſtatuitur.

LVII.

Ut vero ad ſcopum revertamur, jam ſupra obſervavimus, argumentum ab uxore illuſtri, a lege ſubjectionis Territorialis nullibi exemta, derivatum, Apanagiatorum conditioni immediatæ minus officere poſſe; cum inter uxorem Illuſtrem & fratrem Apanagiatum maxima diſparitas appareat, ac maritalis poteſtas magis ſit protenſa, quam illa, quæ forſan Primogenito in Fratrem Apanagiatum competere poteſt; neque perſonam hujus egreditur. Nemo quippe in dubium vocaverit, quod Principi marito, propter poteſtatem maritalem haud denegatum, immo permiſſum ſit, uxorem illuſtrem

Argumentum, ab uxore illuſtri derivatum, Apanagiatorum Statui immediato nullum injungit præjudicium.

(*) Collaudant hanc ſententiam SCHWEDERUS in I. P. *Sect. 2. c. 17. §. 27.* & GOTTL. GERHARD TITIUS in *Specim. Jur. Publ. L. VI. C. V. §. 18.* ibi: nam ſi ſolum *occaſione matrimonii incidat quæſtio, v. g. de dote, de ſævitia,* ea ad judicia conſueta pertinet.

ſtrem corrigere. Qua ratione vero idem quoad Fratrem Apanagiatum obtinere queat, ego quidem plane non video. Plura addere nil attinet, cum vel hæc cuilibet perſpicua ſatis eſſe poſſint. Potius ad reliqua momenta, quæ Statui Apanagiatorum immediato favent, in medium adducenda properamus.

LVIII.

Non licet Principi in cauſſis Domus ſuæ jus dicere.

Haud leve itaque momentum, quo jurisdictionem Principis in cauſſis Domus ſuæ, ſi ipſi Principi forte cum liberis lis oriatur, ſubvertunt, eo redit, ut adſtruant, vetitum eſſe, in ſua ſuorumque cauſa jus dicere. Nec perperam judicant, qui ita cenſent. Etenim uſus Germaniæ certe non oſtendit, Principes immediatos ſibi ac ſuis forum regiminis ſui, more Majorum, & ad exemplum Curiarum Feudalium eligere ſolere, ita ut coram Conſiliariis, ſacramento ſolutis, liberos convenire queant, tranſmiſſione Actorum ad JCtos extraneos haud neglecta, quo elidi poſſit omnis ſuſpicionis ratio. Quin potius quotidiana edoceat experientia, lite inter Principes eorumque liberos ac fratres exorta, cauſam ad Conſilium Imperiale Aulicum, vel Cameram Imperialem devolvi; id quod præjudiciis, ſi venia concederetur, facile illuſtrari ac confirmari poſſet. Sed ais: Nonne Superioritas Territorialis offenditur, ſi Princeps Regens Apanagiatum coram Judiciis Imperii convenire debeat, cum lis alia & commodiore ratione ſopiri queat? At perperam cenſes, qui ita judicas. Sane Superioritas Territorialis quomodo lædatur, non perſpicio, cum eandem Apanagiati in cauſſis feudalibus lubenter recognoſcant. Cum vero argumenta neceſſaria deficiant, ad Superioritatem Territorialem, eo quoque extendendam, ut vi ejusdem Primogenito jurisdictio in perſonam etiam Apanagiati competere debeat; certe Superioritas Territorialis ſuo conſiſtit vigore. Et quicquid ſit, uſus profecto refragatur, qui evincit, Principes Regentes inter ac Apanagiatos contentiones ſatis frequentes in Judiciis Imperii agitari. Objiciat quis porro, patriam poteſtatem apud Principes Germaniæ late omnino eſſe proten-

protensam, dein autem Apanagiatorum & liberorum Principis non extare differentiam, cum eam indoles Superioritatis Territorialis, & prudentiæ Civilis habitus, & alia rejicere intelligantur. Ast differentiam quandam inter liberos & fratres Apanagiatos extare, omnino mihi habeo persvasum. Ais, Superioritas Territorialis, immo prudentiæ Civilis habitus eam rejiciunt; *Resp.* Superioritatis Territorialis indoles ultra limites legitimos non extendenda, sed sobrie, vel hac saltem in parte, est interpretanda. Ad prudentiæ Civilis habitum vero perperam provocatur, cum in præsenti casu locum non inveniat.

LIX.

Apanagiati foro Austregarum gaudent.

Jam vero ad investigationem maximi omnino, quod Apanagiatis Statum immedietatis in primis vindicat, momenti accedamus. Illud vero est, quod Principes secundogeniti foro Austregarum fruantur, nec proinde coram Judicio Primogeniti conveniri queant. Et quanquam supra de eo aliquid fuerit expositum, necessitas tamen exigere videtur, illud hoc loco paullo altius repetere, ac rejectis, quæ pro negativa faciunt sententia, affirmativam omnino tueri.

LX.

Objectio I. forum Austregarum ad Imperii immediatos nequaquam ad mediatos spectare.

Obstat itaque 1.) quod forum illud Austregarum ad Imperii Immediatos, nequaquam ad mediatos & Landsassios pertineat. Jam compertum quidem est, foro Austregarum privilegiario solum uti immediata Regni Germanici membra, Nobiles etiam immediatos, qui suffragii latione in Comitiis destituuntur, *O. C. P. II. tit. 5.* Sed quæritur hic præcipue, utrum in *Ord. Camer. P. II. Tit. II. rubr.* *Wie Chur-Fürsten, Fürsten und Fürstmäßige, einander zu Recht fordern sollen*, Apanagiati, & non-Regentes Principes intelligantur. Equidem vox *Fürstmässig*, quoque de Principibus-Comitibus, *Gefürsteten Graffen*, aut Comitibus Regentibus accipi potest. Sed dixeris, hanc vocem nunc de Comitibus interpretandam minus esse, quod de istis separatim *Tit. III. cit. part.* agatur.

Quæritur: An Ord. Camer. P. II. Tit. II. de Apanagiatis interpretanda sit?

M Igitur

Igitur tutius actum fuerit, si dicamus, verba, *Fürst-und Fürstmäsfig*, nequaquam sibi extare opposita, sed utroque idem subjectum innui. Enimvero sæpe aliquid ampliationis tantum & melioris declarationis gratia additur. Nec unquam LL. Teutonicis, *Fürsten* a *Fürstenmäsfigen*, eo sensu distinguuntur, ut vocula *Fürst* significet Principem Regentem: *Fürstmäsfig* Apanagiatum; COCCEJUS I. P. C. XV. diserte ait, „Hæc „officia potestatemque qui gerunt, vel in Principum NB. or„dine sunt; *Fürstenmäsfige*.„ Unde mirandum, eundem Auctorem, alias contra immedietatem Apanagiatorum militantem, *C. XXVII. §. 15.* nihilominus ipsis dein *C. XXXII. §. 34.* forum Austregale adscribere, loco alleg. Ord. CAMER. suffultum. Unde colligitur, sibi ipsi non satis hac in re constitisse. Quamdiu igitur nemo ostenderit, vocem *Fürstmäsfige*, Apanagiatos designare Principes, opinio hæc valitura est; nec sanctio O. C. ad istos in præjudicium fori territorialis pertinebit.

LXI.

Objectio II.) cit. loc. Ord. Camer. Principes Regentes solum indicari.

Dixerit porro quis, II.) quo evidentius patescere possit, vocem *Fürstmäsfig*, de Apanagiatis haud capiendam; monendum esse, quod ex *§. 2. cit. T. II.* facile perspici possit, Regentes solum Principes eo verbo indicari. Ita autem Cæsar: *Darauf soll der beschrieben und erforderte Chur-Fürst, Fürst oder Fürstmäsfig, Geistlich oder Weltlich, in vier Wochen, den nächsten nach solcher Erforderung, dem Kläger vier regierende NB. Chur-Fürsten oder Fürsten, oder Fürstenmäsfige NB. halb geistlich und halb weltlich.* &c. Antequam hæc verba declarem, observandum est, neminem dubitare, quin hic de Judicibus Austregalibus, ibi: *zum Richter kiessen*, statuatur, quale officium non subire debeat Princeps, nisi Regens. Neque diffiteri possum, haud sequi: Apanagiati Judices Austregales eligi nequeunt: Ergo quoque haud gaudent foro Austregali, cum hæc utique deprehendantur diversa. Attamen id liquere forsan possit, vocem *Fürstmäsfig*, Apanagiatos idcirco non complecti, cum *Regierende Fürstmäsfige*, cit. loc.

loc. memorentur. Jam autem Apanagiati vocantur & existunt Non-Regentes Principes, *nicht-Regierende Fürsten*, ac Regentibus, *Regierenden Fürsten und Landes-Herren*, perpetuo Germaniæ usu contradistinguuntur. Sane, si vox *Fürstmässig*, ex mente O. C. Apanagiatum debuisset exprimere, cur posthæc statuendum fuisset quidpiam vel differendum *von Regierenden, Fürstmässigen?*

LXII.

III.) Ad dogma hoc amplius defendendum id quoque memorari posset, quod Cæsar forum Austregale alleg. loc. adscribat: *Churfürsten, Fürsten, oder Fürstmässigen, Geistlich NB. oder weltlich.* Jam autem, si voculam *Fürstmäsig* de Apanagiatis explicare velint, quid quæso Cæsar intellectum voluerit, cum memorarit, *die Geistlich Fürstmässigen?* An in Episcopatibus & Principatibus Imp. Teutonici Eccles. Apanagiati quoque reperiuntur? Ergo quilibet animadvertit, sub *Geistlichen Fürstmässigen*, vel ipsos Episcopos, ac Principes Ecclesiasticos, vel Abbates, Principali dignitate condecoratos, *Gefürstete Aebte*, qui huc usque comparantur *denen Gefürsteten Graffen*, comprehendi. Quam observationem juvat, quod in *Tit. III. cit. Part.* de Abbatibus ejusmodi nil perhibeatur, tantum Prælatorum, qui ab istis longe discreti sunt, & Comitibus simpliciter dictis, *denen blossen Reichs-Graffen*, dignitate æquiparantur, mentione injecta. Si vero objeceris, vocem *Geistlich*, ad Electores & Principes posse commodius restringi, dici potest, generalem positionem temere quidpiam tale minime admittere, ibi: *Churfürst, Fürst, oder Fürstmäsig, Geistlich oder Weltlich.* Igitur vox, *Geistlich*, tam pertinet ad Electores, quam eos, qui *Fürstmässige* appellantur. Tum quidem restrictio apparuisset, si ita fuisset sancitum: *Churfürst, Fürst, Geistlich oder Weltlich, oder Fürstmäsig.* Jam ea formula non usurpata cur restrictionem imaginariam, verbis & menti Ordinationis abunde perspicuis refragantem, proferamus?

Objectio III. Vocem *Fürstmessig, von den Geistlich-Fürstmessigen capiendam esse.*

LXIII.

Porro vero aliquid, quod adminiculum saltim hypothesi præ-

ORD. CAMER. Seculo, quo divi;

so in plerisque Territoriis Germaniæ obtinuit, concinnata fuit, ideoque de Apanagiis non adeo fuit disceptatum.

præbeat, adjungi poteſt. Enimvero monendum eſt, quod ORD. CAMER. de cujus juſta interpretatione hic quæritur, A. 1555. in Comitiis Auguſtanis concinnata fuerit. Eo autem Seculo diviſionem adhuc in plerisque Germaniæ Territoriis obtinuiſſe exploratum eſt, qua propterea etiam de Apanagiis tum non adeo fuerit diſceptatum. Quem fugiunt partitiones mirificæ in Domo Palatina ſuſceptæ, ubi quidam Principes Electoratum, ubi ſolum, Primogenituræ ratione habita, alius Comitatum Simmerenſem, alius Veldentinum, alius Lautereccenſem, alius Bipontinum &c. Principatus poſſederunt, qui nunc demum omnes, præter Bipontinum, Electoratui innexi, Primogenituræ lege apud Electoratum, ſapienti conſilio, prolata. Neque autem, uti *COCCEIUS* J.P.C.XXVII. §.15. opinari videtur, Principes iſti Palatini hos Principatus mero jure Apanagii rexere, cum plenum jus Territorii, nec ipſo diffitente *COCCEIO*, ipſis fuerit etiam cum jure ſuffragii Comitialis conceſſum, quæ omnia a natura Apanagii vel Paragii longiſſime abhorrent. Quantæ ditionum Brunſvicenſium diviſiones Seculo adhuc ſuperiore contigerint, inter omnes omnino conſtat. vid. *Jo. PETR. de LUDEWIG Germ. Princ. L. VI. C. I. & IV. §. 7.* In Wurtenbergicam Domum itidem demum, ſingulari pactione a. 1617. celebrata, jus Primogenituræ fuiſſe introductum, notum eſt. Nam veteres pactiones, & diſpoſitio Diplomatis erectionis Ducatus Würtenbergici apud *ITTER. de Feud. Imp. C. XII. §. 16.* parum fuerunt obſervatæ, quemadmodum id in Bojoaria quoque contigit & alibi, ubi Teſtamenta inprimis, & aliæ ordinationes, Primogeniti ſolius ſucceſſionem præcipientes, ſæpius præteritæ fuere. De aliis Familiis, v. c. Aſcania, jam plura recenſere non attinet. vid. paullo antea cit. Dn. *Jo. PETR. de LUDEWIG Germ. Princ. L. IV. C. I. §. 14. & 21.* Ex quibus nunc colligitur, ævo *ORD. CAMER.* quo condita fuit, numerum Apanagiorum ſat exiguum extitiſſe, neque adeo ullam neceſſitatem exegiſſe, ut de Apanagiatorum, poſt demum maximam partem exortorum, foro anxie ſtatueretur.

LXIV.

LXIV.

Denique opponi poſſit IV.) ſi concedatur, quod Apanagiatis *Ord. Camer.* forum Auſtregale fuerit adſignatum, tamen id foret referendum ad jus quoddam ſingulare, magis ad favorem illorum, qui conveniunt, quam Apanagiatorum, vel deſtructione Superioritatis Primogeniti comparatum. Enim vero magis juverit illum, qui Apanagiatum actione forenſi aggreditur, ſi coram Auſtregis cum eo litiget, quam judicio Fratris ejusdem Primogeniti, ubi ſæpius alteri id oneri foret & incommodo. Quapropter ſcite judicat *Hertius Opuſc.* „*V. II. T. 2. p. 111.* Id, inquit, ſingulari jure fuit conſtitutum, „ne contra eos, coram Primogenito, aliis, aleam litis ſubire „eſſet neceſſe. Neque ideo jurisdictio Principis Regentis illico peremta foret, quum aliquis duobus foris diverſis uti queat. At tunc, ſiquis Apanagiatum conveniat coram Judicio Principis Regentis, nec is exceptionem fori privilegiarii opponat, nemo ambiget, quin Apanagiatus rei, ab iſto judicio judicatæ, ſemet ſubmittere debeat, ac ſi minus pareat, executionem in bona ſuſtinere. Quæ cuncta non haberent locum, ſi jurisdictio prorſus nulla ad Primogenitum pertineret. Neque voluntariam quandam prorogationem hic probaris, cum talis ſit inprimis ex voluntate convenientis metienda, etiam cum nitatur mutuo veluti pacto. Jam autem conveniens putavit, Primogenito facultatem tali de cauſa cognoſcendi omnino competere; Ac Apanagiatus reus, dum nil oppoſuit, jurisdictionis legitimum fundamentum agnoviſſe merito cenſetur. Etenim ſi ad Judicem plane extraneum confugiunt, tum quidem prorogatio vera ſubeſt, quæ inſtar arbitrii compromiſſarii habetur. Aſt talis Judex extraneus Princeps Regens, in cujus territorio Apanagiatus bona poſſidet, ac domicilio fruitur, nunquam exiſtimari debet, quanquam dein Leges Imperii proſpexerint, Apanagiatis forum privilegiarium indulgentes. Quæ etiam Imperii leges (ſi quis porro objicere velit) nullibi Apanagiatos a Superioritate exemerunt, vel voluere, ut foro Auſtregali inſtructi nunc pro immediatis

haberentur. Nec conſpicitur, (dicas) cur exceptio a regula, qui foro Auſtregarum gaudet, ille immediatus, non poſſit quædam ſtatui, ac hactenus mediatis quoque iſtud tribui, quemadmodum olim iſtis alia & eminentiora longe jura, v.c. ſuffragii Comitialis, minus fuere denegata.

LXV.

Argumenta, quæ Apanagiatis forum Auſtregarum tribuunt, recenſentur. I.) Diſtinguendum inter interpretationem doctrinalem & Uſualem.

Commemoratis itaque hactenus iis rationibus, quæ Apanagiatis forum Auſtregarum omnino denegant, nunc ea quoque argumenta, quæ in contrarium privilegium hoc primæ inſtantiæ ipſis diſerte vindicant, exponere fas eſt. I.) Optime notandum eſt, in interpretanda Ordinatione Camerali diſtinguendum ſobrie eſſe inter interpretationem *doctrinalem* & *Uſualem.* Quare, ſi ea, quæ in contrarium antea in medium adduximus, ſecundum interpretationem *doctrinalem* metiri velis, facile largior, ſententiam juſte defenſam fuiſſe. Aſt, cum ſecundum interpretationem *Uſualem* verba Ord. Camer. meritò ſint interpretenda, doctrinalis illa nulla ex parte hic locum quendam invenire poterit, ſiquidem in aprico ſit, ſecundum *Uſualem*, forum Auſtregarum Apanagiatis legitime competere. Agitur enim in *ORD. CAMER.* loc. cit. de Principibus, qui in prima inſtantia Cameræ jurisdictionem agnoſcere tenentur, atqui non tantum Principes, qui ad clavum Reipublicæ ſedent, Cameræ jurisdictionem, in prima inſtantia, agnoſcere tenentur: aliud quippe forum competens demonſtrari nequit. Deinde agitur in dicta Ordinat. de omnibus, tam immediate quam mediate ſubjectis, ubinam ſint conveniendi, nihil vero ſpecialiter providetur, & de his diſpoſitum reperitur, qui adminiſtrationem non habent. Ergo ſub generali diſpoſitione comprehenſi cenſentur, *l. 15. §. 26. de injur.* maxime cum diſpoſitio illa in genere loquatur de Electoribus, Principibus & Principi paribus, non ſolum autem Principes, qui Summæ rerum præſunt, ſed & reliqui nomen ac dignitatem Principum merentur & tuentur, quo circa determinatio generalis hoſce omnes æqualiter determinabit, & ex

æquo

æquo aſpiciet; *l. 4. §. f. l. 45. de pupill. l. f. C. de ſentent. & interloc. l. quamvis C. de impub. & al. ſubſt.* Et certe ratio inductiva Auſtregarum non minus quoad hos, quam illos militat, ut hinc jure, quod nexus rationes jungit, diſpoſitionis nervus disjungere non debet, *l. illud. 32. in pr. ad L. Aquil. l. a Titio 108. in pr. d. V. O.* Nec movet, quod in Ordinat. mentio fiat Principum, ſummam rerum tenentium. Nam, uti hoc de certo conceptum & conſtitutum eſt caſu; *Ord. Camer. p. 2. tit. 2. §. Darauf ſol.* ita male ad alios caſus extenditur; *l. fin. cum ibi not. de Calum. l. neque natales 10. C. de probat. l. naturaliter 12. §. nihil commune 1. de acquir. poſſeſſ.* Sufficit itaque, quod in *Ord. Camer. P. II. tit. 4.* hoc privilegium primæ inſtantiæ Principibus & Statibus immediatis *in genere*, in quibuſvis cauſſis, nullo prorſus habito diſcrimine, concedatur, adeoque generalem diſpoſitionem generali quoque ſenſu, de omnibus cauſſis aſſumendam eſſe, in aprico eſt, per *l. 1. §. cum urbem, π. de offic. Præfid. Urb. l. Julianus π. de Legat. 3.* & quidem iſtud eo magis, cum verba *Ord. Camer. Fürſten, Fürſtmäſſige*, ſingularem quandam generalitatis emphaſin ſpirare videantur, quippe geminata, quæ ſimplicius ſolent eſſe, nunquam non fortiora; *l. 22. C. ad SC. Vellej.* & animum omnino deliberatum & deſtinatum declarant, *l. 4. π. de Fidejuſſ. Tut.* Nec eſt, quod objicias, in O. C. *p. 2. tit. 4.* mentionem fieri Principum Regentium, *ſo regierende Fürſten ſeyn*, hinc ergo *tit. 4.* non extendendum, ſed ſtricte interpretandum reſpondetur. Nam licet nihil de hoc caſu expreſſis verbis ibi ſit conſtitutum, nec tamen eum lex excludit, ſed indiſtincte loquitur, ergo nec a nobis excludendus, multo minus, lege non diſtinguente, a nobis diſtinguendum. Diſpoſitio ſiquidem generalis tantum operatur ad quamlibet ſpeciem, ſub ea comprehenſam, quantum operaretur ſpecialis, quoad ſpeciem in ea expreſſam; *l. 25. §. 6. lib. & poſth. l. 51. adm. tut. l. 71. l. 3. l. 4. C. de præſcr. 30. ann.* Deinceps non ſolum illud lege continetur, quod verbis legis exprimitur, verum etiam illud, quod ſententia & mente legis, per certam ratiocinatio-

nem indicatur, indeque eruitur, arg. *l. 17. LL. l. 6. §. 1.* ibique *GOEDD. n. 11. & sqq. d. V. S.* Ubi vero res sub generali ratione legis continetur, ibi nulla fit extensio. II.) Animadvertendum omnino, quod, uti *MINDANUS lib. 1. d. Process. Camer. c. 19. num. 23.* quem sequitur *SCHWANEMANNUS in Observ. Camer. pract. 20.* optime censet, privilegium Austregarum *personale*, non patrimoniale sit, idemque asserat, Principem, etsi habeat Comitatum, vel alia inferiora bona possideat, nihilominus eodem, cum reliquis Principibus, gaudere privilegio. In Germania siquidem plurimum generi & sanguini tribuitur, secus ac in Gallia, ubi ex territorio magis, quam ex sanguine, Principes & Comites denominantur, cum in titulis etiam, ab uno prædio, vel domuncula sumendis, satis vani & leves. Accedit, III.) quod quis esse possit omnino Imperio immediate subjectus, quanquam territorii immediati possessione destituatur. Unde, cum *Petr. FRID. MINDANO* scribit *COMITIOLOGUS*, *daß die Fürsten und Graffen des Reichs auch des Privilegii der Austräg theilhafftig seynd, und wenn Sie schon von ihren Vätterlichen Fürstenthümern nicht einen Mayerhof besitzen thäten. MINDAN. de Proc. Camer. 1. c. 19. num. 23.* Præjudicium Ducum Saxo-Lauenburgensium adducit Gottl. ab *HAGEN* in *Comitiolog. part. 5. n. 4. fol. 409.* IV.) Vltima tandem ratio, quæ secundogenitis privilegium primæ instantiæ omnino vindicat, hæc est, ut nimirum in pluribus instantiis causa plenior deduci possit, non minus militat pro ultragenito, quam Regente. Nam cæteroquin deterioris conditionis is esset ac hic, quid iniquissimum foret. Quod autem O. C. hoc de casu nihil disposuerit ratio est, quia hic casus est rarus, de quo nec alias jura disponunt, *l. 3. LL.*

II.) Privilegium Austregarum non patrimoniale sed personale est.

IV.) Nil impedit, quod in Ord. Camer. de hoc casu nihil dispositum legatur.

LXVI.

Hæc vero jam jam in medium prolata meo quidem judicio satis evincere possunt, Apanagiatis privilegium primæ instantiæ frustra denegari. Nec ab hac sententia dimovere nos possunt ea, quæ supra in contrarium adduximus, cum vel per

Hoc Apanagiatis competens privilegium Austregarum Statum eorundem immediatum sat evincit.

per ea, quæ jam consignata sunt, facile rejiciantur, nec tanti extent momenti, ut ad singula fuse respondere debeamus. Quilibet præterea cognoscit, egregium hoc utique, pro conditione Apanagiatorum Illustrium immediata, extare argumentum, quod quidem ipsemet Illustr. *HEINR. DE COCCEII* in Differt. *de Austreg.* quæ *Vol. I. Exercit. Curios.* habetur *p.586.* graviter fuit exsequutus, *BETSIO*, *MYLLERO*, aliisque Scriptoribus, pro firmando dogmate prolatis, etiamsi caussam Apanagiatorum generatim strenue tueri intelligerentur. Annon igitur opinio eorum, qui Apanagiatos Jurisdictioni Territoriali Primogeniti subjiciunt, contradictionibus & dubiis implicatur, quas ipsimet solvere ac diluere nesciant? Et quis verba *cit. Differt.* satis perspicua: *aliud quippe forum competens demonstrari nequit*, conciliet expressis in *C. XXVII. §. 15. I. P.* ibi: *jurisdictionem in reliquos, totamque omnino familiam exercet; idque Juris gentium est?* Adeo Jus Gentium interdum cum Jure Publico Germaniæ præter rem commiscetur. Ac nemo non alio modo judicare poterit, quam quod Illustris *COCCEIUS* hic minus sibi constitisse videatur. Sic ego non video, quomodo sententia Celeberrimi *STRUVII*, quam fovet C. XXIV. *J. P. de Judic. Imp. §. XXXVII.* ibi: *Gaudent hoc jure* (Austregarum) *omnes Electores, Principes & Comites, etiam Apanagiati membra quoque immediata Imperii*, illi, quam tuetur *eod. C. XXIV. §. XV.* conciliari queat, quippe immedietatem Apanagiatorum prorsus in dubium vocanti, ibi: *Quod si vero Apanagiati, vel qui alias agnoscunt Superioritatem Territorialem, quidpiam commiserint, subjacent omnino Domino Territoriali, cui competit jurisdictio omnimoda.* Quis est, qui non censeat, illustrem Auctorem sententias sibi invicem contrarias tueri? Id præterea ex iis liquet, quod, quanquam plerumque Dd. contra Apanagiatorum Statum immediatum pugnent, tamen eosdem judicium Austregarum iis denegare haud posse, adeoque vel hoc ipso eorundem immedietatem satis confirmare. Nec quenquam facile esse putaverim,

verim, qui privilegium primæ instantiæ Apanagiatis denegare audeat, cum argumenta deficiant necessaria, quibus defendi sententia possit. Quapropter merito mirandum, haud ita pridem KEMMERICHIUM JC. Vitebergens. alias haud imperitum, in *Introductione sua ad Jus Publicum Imp. Rom. Germ. L. VI. C. V. §. VIII. in not de Judic. Austreg.* quæstione mota, an Apanagiati foro Austregarum gaudeant? negativæ sententiæ accessisse, nec rationem ullam, qua sententia sit fulcita, allegasse.(*) Unde concluditur, illum totam rem fugitivo oculo inspexisse, nec in dispositionem Ord. Camer. ejusque justam interpretationem inquisivisse. Cæterum, sicuti sententia a nobis defensa suis nititur fundamentis: ita & ei plerique viri eruditissimi, de Jurisprudentia Germanica insigniter prorsus meriti, applaudunt, quos vero omnes hic recensere, necessitas minus postulat, cum litteratos latere haud possint. Attamen operæ pretium erit, verba Perillustris atque Excellentissimi Domini, Domini *JOANNIS GUILIELMI, COMITIS DE WURMBRAND, S. CÆSAREAE MAIESTATI* a Consiliis sanctioribus, ac Judic. Imp. Aulic. *VICE-PRÆSIDIS* longe spectatissimi, quæ in solidissima & omni laude majore Dissertatione sua *de Foro S. Imperii Romano-Germanici Principum, Trajecti ad Rhenum*, A. MDCXCII. communi eruditorum ac recte sentientium suffragio atque applausu ab eodem habita, conspicere mihi licuit, hic „apponere, ac ita sese habent: Pro Apanagiatis statuendum „esse videtur, ob generalem plane & indistinctam Ordinatio-„nis Cameralis dispositionem, *P. II. tit. 2.* Dein accedit, quod „privilegium isthoc Austregarum non glebæ sit pretium, seu „patri-

(*) Sic non immerito affirmandum est, GOTTL. GERH. TITIUM, pariter clarum textum Ord. Camer. minus inspexisse sollicite, atque ejusdem verba ponderasse, cum in *Specim. Jur. Publ. L. VI. C. III. §. 8.* Apanagiatis indistincte forum Austregarum deneget, nulla idonea ratione ibidem in medium adducta. Apparet potius, eundem in hac parte cœca fide SCHWEDERUM esse sequutum, ac juris Territorialis vim, ad quam provocat, Apanagiatos in eo haud effugere posse, asseruisse.

„patrimonio inhærens, sed dignitatis præmium, personam „sequens *MINDAN. de Proc. Camer. I. c. 19. n. 23.* atque adeo, „quamvis Princeps Imperii certo quodam Principatu careat, „nihilominus vel contra alios acturus, vel ab iis litibus pe-„tendus, isthoc privilegio gaudet, quod & in Domo Saxo-„Lauenburgica præjudicio firmatum legimus. Et hujusmodi „privilegium primæ instantiæ ad Principes fœminas, f. Vxo-„res f. Sorores, & in universum ad omnes liberos Principum, „etiam in patria potestate constitutos, extendi, tradunt Dd. „*SCHUBHARD.* de Austreg. c. 3. n. 100. usque 114. & sqq. „*TEXTOR* dissert. III. ad R. I. *Th. 44.*

LXVII.

Sed nec prætermittendum hoc loco erit, quod dentur quoque Austregæ conventionales, *gewillkührte oder besondere Austräge.* Nonnullæ quippe Familiæ atque urbes Imperiales ex pacto & conventione sibi tales constituerunt. In istis Austregis autem certæ personæ mutuo consensu constituuntur. Quod si igitur inter Duces Saxoniæ sit controversia, deputantur utrinque quatuor Nobiles, & duo Consiliarii litterati, qui, relaxato juramento, dominis suis præstito, in caussa cognoscunt. Sic inter Fridericum, Thuringiæ Landgravium, & Guilielmum divitem, Misniæ Marchionem convenit, ut quatuor Nobiles controversias illorum dijudicarent, vid. *MULLERI Ann. Saxon. ad a. 1421. Europ. Herold P. I. p. 922.* Quod si inter Celsissimos Hassiæ Landgravios oriatur controversia, nominantur tam ex parte actoris quam rei quatuor Nobiles, & totidem Deputati Civitatum, quibus Adsessor Judicii Aulici, & ab utraque parte JCtus Marpurgensis adjungitur, idque intra spatium sex hebdomadum. Patet hoc *aus der Erbeinigung* inter Philippum & Georgium a. 1568. inita, apud *LUNIGIUM, Fortsetz. der II. Contin. p. 789.* in qua: *als nemlich soll der klagende Theil vier von Adel aus seinen Räthen und Ritterschaft, die Landsassen seyn, vier Raths-Personen aus seinen selbst, oder andern seiner Brüder Stätten, wie das einen iedem gefäl-*

De Austregis conventionalibus differitur.

lig ist, und einen Gelehrten vom Hoff-Gericht, desgleichen der beklagte Theil ebenmässiger Weise vier vom Adel aus seinen Rathen und Ritterschafft, die Landsassen seyn, vier Raths-Personen aus seinen Stätten, einen Gelehrten vom Hof-Gericht, und darüber beyde Klager und Beklagter samtlichen einen Juristen aus der Universitat zu Marpurg, innerhalb sechs Wochen, nach geschehener des klagenden Theils Ersuchung, benennen und erwehlen. Coram his constitutis Judicibus Processus formatur, caussa agitur, istique nihil magis curæ cordique habent, quam qua ratione controversiæ componi possint. Quod si fieri nequeat, ad Judicia superiora provocatur, vid. PFEFFINGER ad *VITRIAR. L. IV. Tit. V. §. 3.* Sic etiam Electores per unionem a. 1446. de certo Austregarum modo, si inter ipsos controversiæ fuerint ortæ, inter se convenerunt, vid. *MULLER de Friderico I. VORST. C. XXIII. §. XX.* Eadem ratione, dum Brandenburgici Marchiones fœderi Svevico accederent, inter hos & reliquos fœderis socios de certo Judicii convenit modo. Conf. *DATT. L. II. C. IX. n. 49.* Hæ vero conventionales Austregæ per privilegiatas illas minime tolluntur, prout expresse dispositum in *ORD. CAMER. P. II. tit. 2. pr.* ubi tunc demum ad privilegiatas recurritur, si conventionales deficiant. Conf. *PETR. FRIDER.* de Process. *l. 1. c. 19. n. 2.* Sed progrediamur ad reliqua.

LXVIII.

Quamquam Apanagiati foro Austregarum gaudent; falsa tamen Primogenito est Superioritas Territorialis.

Cum itaque cuilibet patescere queat, Principes Apanagiatos ob illustrem, qua coruscant, dignitatem, foro Austregali liberrime uti; & quilibet concedere omnino debeat, eosdem hac in parte a jurisdictione Primogeniti esse exemtos, ita ut nullibi, quam coram Austregis, vel summis Imperii Dicasteriis conveniri possint; declarandum etiam erit, quod id non obstet, quo minus salva nihilominus Primogenito esse queat superioritas Territorialis; quam uti declaravimus, neutiquam rejiciunt, sed omnino reverentur. Alia enim est *jurisdictionis*, alia *Superioritatis* ratio. Illa saltem rem *judiciariam* concernit, (de qua scilicet hic disquiritur) hæc vero jura

jura non infima utique complectitur. Igitur & sublata facultate Domini Territorialis, quoad exercitium rei judiciariæ, non tamen illico extincta penitus censetur reliqua potestas; id quod lubenter largimur. Nec in dubium vocamus, quod subditum non tantum coargunt, quod is forum Domini Territorialis agnoscere debeat, nec ad Imperii Judicia convolare possit, sed alios quoque extare characteres, unde subjectionis vinculum dignoscatur. Characteres vero illi in Personis Principum Apanagiatorum omni ex parte haud conspiciuntur, quare & immediatum eorundem statum evertere nequeunt.

LXIX.

Ad Apanagiatorum subjectionem probandam nil facit, quod tempore extremæ necessitatis collectas præstare debeant.

Sic infelicem sane subjectionis notam is efficeret, qui ita judicare velit, quod, licet regulariter Apanagiati a Collectis sint exemti, tamen in dubium vocari minus possit, quin tempore extremæ necessitatis, ubi dominii eminentis vis sese exserit, ex Apanagio quoque media tuendæ Reipublicæ necessaria juste depromantur. Quis vero ex casu plane extraordinario regulam atque normam extorquere poterit? id sane non sequitur. Quoniam Apanagiati, tempore necessitatis, collectas præstare tenentur, ideo vel ex hac ratione Primogenitis subjiciuntur. Sufficit, Apanagiatos a collectis esse immunes, ac hoc potius momentum ad probandam eorundem immedietatem facere. Hinc Uratislaus II. Rex Poloniæ tributum, sive subsidium pecuniarium, eum in finem Apanagiatis Fratribus primum imperavit, ut eorum tentaret patientiam, &, si renuerent, justum haberet belli, ipsis inferendi, prætextum; CROMERUS in *Chron. Polon. lib. 6. in Uratislao II.* Quod tamen declarabis, si pacto, statuto & moribus aliter cautum reperiatur, cum in materia collectarum consuetudo potissimum inspicienda sit. Sic in puncto Apanagii, *wegen der Reichs-Steur*, per Decretum Cæsareum, de A. 1589. inter Comites Ost-Frisiæ Embdanos ita dispositum: *der Reichs-und Kreyß-Steurn halben soll es bey zuvorgemachter Ordnung bleiben, also daß dieselben Steuren, durch die deputirte Einnehmer, wie herkommen, einbracht, in einem besonderen Lege-Kasten*

verwahret, und davon fürter iedesmahl, der gantzen Graffschaft angebührens, an einer unzertheilten Summa, dem heiligen Reich und Westphalischen Krayß erleget und richtig gemachet werden.

LXX.

Apanagiati in quibusdam Familiis jure indicendi conventus Provinciales gaudent.

Cæterum, quanquam regulariter Apanagiato jus indicendi Conventus Provinciales haud competat, in quibusdam tamen Familiis aliter cautum esse constat. Sic in Serenissima Domo Saxonica Senior quidem Frater indicit ac convocat diætas, nomine tamen insimul Fratrum postgenitorum, ac quidem mutatis mutandis, forma sequenti: *Lieben Getreue; Uns fallen solche angelegene Sachen für, daß die Nothdurft erheischet, uns darüber unserer getreuen Landschaft unterthänigen Gutachtens, Raths und Bedenckens zu gebrauchen, und zu solchem Ende, einen Landtag auszuschreiben. Demnach begehren wir vor Uns, und die Hochgebohrnen Fürsten, unsere freundliche geliebte Brüdere und Gevattern &c. Ihr wollet mit Hindansetzung aller andern Geschäfte den N. Monaths N. gegen Abend alhier gewiß einkommen, folgends Tags nach angehörter Predigt Göttlichen Worts unsere Proposition vernehmen, solche nebenst anderen unserer und Ihrer LL. den erforderten Land-Standen reifflich erwegen, und sich darauf mit Rath und That also erweisen, wie es an ihm selbst billig, und wir Uns zu euch ingesampt versehen.* Ita & in Decreto Cæsareo, de A. 1589. inter Comites Frisiæ lato, hoc dispositum: *Demnach wollen Ihr Kayserl. Majest. daß gleichwohl die Bestimmung der Land-Täge bey Graff Edzarten, als den ältern Brudern, stehen; iedoch aber das Ausschreiben in beyder Graffen Nahmen verfertiget werden und ausgehen, auch Graff Johann, weniger nichts als Graff Edzarden, frey und bevor stehen soll, auf solche ausgeschriebene Land-Tage entweder in der Persohn, oder durch seine bevollmächtigte Räthe zu erscheinen, und was zu gemeinen Nutz, Ruhe, Aufnehmen, und Wohlfahrt der gantzen Graffschaft ersprießlichen ermessen wird, mit Einrathen und Thaten zu helffen*

helffen. Solte aber Graff Edzart (als sich doch Ihre Kayserl. Majest. nicht versehen wil) auf inständig und gehorsam Anhalten und Ersuchen der Land-Stände, keinen Land-Tag benennen noch ausschreiben wollen; auf solchen unverhofften Fall soll Graff Johann, mit Zuthun der Land-Standte, die vorstehende Gefahr zu berathschlagen, und was zu deren Rettung nöthig, zu schliessen haben, wie gleichfals auch Graff Edzard, auf den Fall Graf Johann die Landtage nicht würde besuchen lassen, mit den Land-Standen zu berathschlagen, und was iedesmahl die Nothdurft erfordert, zu schaffen haben soll. Verum in Celsissima Domo Hassiaca in favorem Apanagiatorum tale quid cautum esse, non reperimus. Potius indictionem Conventuum Provincialium, nomine duorum Principum Regentium fieri, testatur Art. XXXIII. *des getroffenen Haupt-Accords;* ibi: *die allgemeine Landtäge unser Fürstenthumb sollen, mit der beyden Regenten gemeinen Schluß, und Rath, einmahl in Casselischen, des andermals in Darmstattischen Territorio, und also fortan Wechselsweise, ohnerachtet sich Enderung mit den Personen der Regierenden Fürsten zutrüge, gehalten werden, doch soll hiedurch keinem Fürsten benommen seyn, in seinem Fürstenthum und Landen, die nach Gelegenheit und Befindung seiner und desselben Landes sonderbahren Obligen, particular Communications-Täge mit seinen Land-Standen vorzunehmen.*

LXXI.

Porro vero eximia Apanagiatorum Principum dignitas inde dignoscitur atque dijudicatur, quod certo quodam modo Jus quoddam sacrorum Ipsis aliquando competat. Etsi enim Jus Episcopale, quod latius est, Regenti solummodo permaneat, tamen hoc illi subordinatum, interdum Apanagiati acquirunt vel Statuto Familiæ, vel etiam indultu Primogeniti. Cæterum Jus Patronatus postgenitis in terris assignatis competere, consuetudo satis comprobat. Atque jus habendi concionatorem aulicum non tam ex jure Patronatus, quam dignitate personali, quam Princeps Apanagiatus habet, deri-

Apanagiatis certo quodam modo Jus Sacrorum competit.

derivatur, perinde ut aulam suam ordinandi libera ipsi facultas competit. Inde & diversam religionem amplexo, sacra privata cum Ecclesiaste modo limitato, interdum permittuntur. Multo magis ejusdem religionis Principi personæ ad Ecclesiasticum munus, in aula sua gerendum, electio relinqui solet: *Mögen ihre eigene Hoffprediger und sonderliche Hoff-Capelle halten.*

LXXII.

An Apanagiati preces publicas in terris assignatis exigere propria potestate possint? quæritur.

Cum de Jure Sacrorum, in quantum hoc Apanagiatis competat, differimus, non incongruum erit, nec ab instituto alienum, si sequentem hic subjiciamus quæstionem: *An Fratres Apanagiati in districtu assignato, intercessiones publicas proprio ausu exigere queant?* Nos quid sentiamus, mox indicabimus. Itaque in primis animadvertendum est, quod jus exigendi preces publicas, sive intercesiones pro sese fieri, competat summæ Reipublicæ potestati, quod vulgo *Jus Precum* vocant, non jure divino tantum, quo Ecclesia obligatur ad precas publicas pro potestate civili, Ecclesiæ protectrice; *1. Tim. II, 2.* Sed etiam gentium, unde moris, uterum Principis DEO commendare; *Tacit. Ann. XV. 23. & XII. 68.* Vi hujus juris Princeps disponit, quarumnam personarum speciatim mentio in precibus publicis fieri debeat? Proinde utplurimum certa formula a Consistorio Ministris Ecclesiæ precibus publicis inserenda præscribi solet, quæ, prout circumstantiæ id suadent, mutari varie solet. Ac, vi hujus *directionis*, non tantum Princeps pro se exigit intercessionem, sed etiam pro Augusta, matre, liberis, *fratribus*, aliisque cognatis, prout in formula præscripta id expressum est. Ex quo perspicuum redditur, non omnes, quorum mentio fit, speciatim in supplicationibus hisce publicis habere jus illas exigendi, quippe quod primario fit jure *summæ potestatis*, quo reliquæ personæ nominatæ destituuntur, sed omnia hæc ex directione summæ potestatis dependere. Quid? quod nonnullis in locis mentio fieri soleat eorum, qui ex confraternitatis jure spem in territorio illo succedendi habent, nemo tamen inde concludere

cludere poteſt, hoc fieri ex *imperio Confratrum*, qui adhuc nullum jus imperii reale habent, ſed præſcriptio etiam hæc ex Principis indictione & imperio dependet. Verum, etſi in precibus publicis fratrum Apanagiatorum mentio fieri ſoleat, tamen exinde non conſequitur, quod poteſtas iis competat eas exigendi. Etenim, ſicuti non omnes ſpem ſuccedendi habent, pro quibus ſpeciatim quoque preces concipiuntur: ita & nec omnes, qui ſpem ſuccedendi habent, iis includi neceſſario debent, ſed totum hoc negotium ex *directione* ejus, penes quem eſt *ſuprema poteſtas*, dependet. Interim tamen diſtinguendo omnino ad quæſtionem propoſitam reſpondendum eſſe, cenſemus. Scilicet notum eſt, alicubi apanagium in certa pecuniæ quantitate conſiſtere. Quo in caſu nullam penitus poteſtatem exigendi preces publicas Apanagiato adjudicari poſſe, cum territorio, adeoque territorii jure plane deſtituatur, facile liquet. Alicubi autem certa *portio feudi regalis* ultragenitis fratribus aſſignari ſolet, ut ex illa reditus percipiant, in quo ultimo caſu diſpiciendum eſt, an poſſint proprio auſu exigere interceſſiones publicas in diſtrictu aſſignato, an vero tale quid exigendum a Fratre Primogenito, ut ille formulam talem præſcribat, in qua ſpecifice & ſub nomine proprio, eorum fiat mentio. Non una eademque definitione hanc quæſtionem abſolvi poſſe, facile apparet, cum varia ſit Apanagii conditio. Videlicet cuilibet conſtat, plura eſſe apanagia, ubi Superioritas Territorialis, & omnia Regalia, Primogenito Fratri in diſtrictu tali ſalva manent; vid. SPRINGSFELDIUS *de Apanag. c. 5. n. 47.* KNIPSCHILDIUS *de Fideic. Famil. c. 6. n. 227.* MYLER *ab Ehrenbach, de Princip. & Stat. Imp. c. 21. §. 4.* qualia utplurimum ſolent eſſe apanagia, & hoc in caſu, cum apanagiatus reditus tantum certos, ſibi aſſignatos, percipiat, expeditum eſt, ei non competere jus, proprio jure Miniſtro Eccleſiæ formulam, ſecundum quam pro ſe faciat interceſſionem, præſcribendi, ſed frater Primogenitus de hoc diſponit, ad quem proinde recurrendum eſt. Aliud obtinet, ſi Apanagia ſint pinguiora, & Apanagiati,

nagiati *Superioritatis*, quoad maximam ſaltem partem, participes facti, exceptis iis Regalibus, quæ ſpeciatim Primogenito ſunt ſervata. Quod ſi itaque Jus ſacrorum, a quo hæc diſpoſitio dependet, non fuerit exceptum, nemo ſane negabit, Apanagiato tali preces quoque ejusmodi exigendi jus competere, ſi & reliqua exerceat jura ſacrorum. Qua ratione vero ejusmodi preces ſint concipiendæ, & annon primario fratris Primogeniti, & deinde demum Apanagiati, in illo diſtrictu regentis, mentio fieri debeat, aliis dijudicandum relinquo.

LXXIII.

Quæritur: An Preces Publicæ argumentum præbeant ad Territorii jura?

Enaſcitur vero rurſus ex hactenus commemoratis ſequens quæſtio: *An preces publicæ argumentum præbeant ad Territorii jura?* Metuebant hoc Erfurtenſes, dum poſt Pacem Weſtphalicam Moguntinus Elector, ut ipſius in precibus publicis mentio fieret, poſtularet. Neque tamen exinde argumentum ſumi poſſe patet ex eo, quod etiam in precibus publicis Imp. omnium Regum, Principum Apanagiatorum (uti præced. §. indicavimus) *der Erb-Verbrüderten*, Patroni, Officialium, fiat mentio. Quod ſi vero pro Principe preces fundantur, *als Landes-Herrn*, aliter ſe res habet, atque ex eo argumentum ſumi poſſe, facile patet. Conf. *Illuſtr.* BOEHMER *de jur. Prec. Publicarum*, & STRUVIUS *H. G. diſſ. XXXVII. §. XIII.* Diſtinguendum nimirum probe eſt inter jus, quod competit Principi, preces exigendi, ac inter jus, quod ex *reverentia*, vel civilitate fluit, vi cujus alii etiam, mandante quippe Principe Regente, precibus publicis includuntur, quod vero eſt imperfectum, talesque effectus exercere nequit. Non negandum tamen, pro ratione circumſtantiarum, Principi etiam cuidam, in alterius territorio jus exigendi preces publicas quodammodo adſcribi poſſe, e. g in iis locis, ubi Regi Boruſſiæ jus *protectionis*, ſ. *Advocatiæ* competit, idem fieri ſolet, id quod tamen eo magis obtinere debet, ubi præter advocatiam longe eminentiora jura protectori competunt. Quamvis autem protector vi juris advocatiæ, nullam in provincia clientelari

Supe-

Superioritatem Territorialem exerceat, illud tamen fœdere hoc clientelari comprehensum videtur, ut alter alterius Majestatem comiter conservet, ut loquar cum PROCULO in *l. non dubito 7. §. 1. de captiv. & postlim. revers.* eidem tanquam patrono reverentiam singularem exhibeat, in cujus declarationem merito quoque in precibus publicis est allegandus. Alias quidem jura ex *reverentia* fluentia sunt imperfecta, sed cum hæc reverentia ex *pacto* seu *conventione speciali* debita sit, & signum hujus hodiernis quoque moribus habetur, si quis speciatim in supplicationibus Ecclesiasticis nominatur, dici quoque omnino potest, advocato & protectori ex hoc pacto competere jus quoddam exigendi preces publicas, ita tamen, ut indictio ipsa, seu conceptio formulæ Domino Territorii salva esse debeat. Præterea id certum est atque exploratum, quod, cum ordinatio, quæ pro personis quibusdam speciatim in supplicationibus publicis orare præcipit, fluat ex jure *imperii* in Republica, non statim inde sit concludendum: *ergo pro quibus Principibus, publicis in precibus nominatim supplicationes fiunt, illis etiam competit Superioritas Territorialis.* Solet quippe præter eos, quos hactenus recensuimus, pro aliis quoque orari ex jure *familiaritatis*, quin etiam pro *magistratu oppidano*, *patronis*, & qui *jurisdictionem patrimonialem* habent. Unde præterea affirmandum est, quod is, qui precibus publicis includitur, simul quoque vi *jurisdictionis Ecclesiasticæ* has preces indixerit, formulamque præscripserit. Quod autem jure *familiaritatis* tantum factum, ob id alteri nullum jus competere potest, *l. 41. π. de acquir. vel amitt. possess.* ubi de ingressu in fundum jure familiaritatis eleganter ait JCtus: „Qui jure *fa-* „*miliaritatis* amici fundum ingreditur, non videtur possidere, „quia non eo animo ingressus est, ut possideat, licet corpore „in fundo sit.„ Conf. LUDOV. POST. in tr. *de mand. manut. Obs. 53. n. 2.* BESOLD *consil. 118. n. 79.* STRYCKIUS *in diss. de jure familiaritatis, c. 4. n. 10.* multo minus aliqua inde *Superioritas* colligi. Illustratur hoc ulterius ex scripto quodam publico, cui est titulus: *Nochmahlige ernstliche Behauptung des*

 freyen

freyen und unbeschränckten exercitii *des Schleswig Holstein-Gottorffischen Juris armorum, Armandiæ, Fortalitii, fœderum &c. &c. &c. gegen alle bisherige ungegründete Schleswig-Hollstein-Glückstädtische Anmassungen, und nach so heiliglich geschlossenen Altenaischen Vergleich, wieder hervorgesuchten und bey noch währenden-Pinnebergischen Tractaten continuirten Beeinträchtigungen, in wohlgemeinter Antwort auf die von einem Holsteinischen Land-Patrioten, im Monath Novembr. 1699. jüngsthinn zusammengetragene und aufgesetzte sogenannte rechtmässige Ursachen* &c. &c. ubi Auctor sequentia hanc in rem habet: *daß zu einigen Stadten das allgemeine Kirchen-Gebeth aus alter unverfänglicher Gewohnheit vor beyde regierende Hertzogen zugleich abgeleget werde, giebet der Sache nichts, und wird ein ieder, solcher Exempel nur halbkündiger, gestehen müssen, daß sothane Einschliessung ins Kirchen-Gebeth so wenig einige Superiorität mit sich führen, als dessen Unterlassung selbige Landes-Obrigkeit und Hoheit einem sonst rechtmässigen Landes-Fürsten absprechen könne. Die gesammten Hertzogen zu Schleswig Holstein würden, in Regard der bey ihrer Stadt Hamburg sowohl hergebrachten und fundirter Gerechtsamme, übel fahren, und zu kurtz kommen müssen, wann die von dieser Stadt so eigenmächtiger, unverantwortlicher weise de facto verfügte Unterlassung des gewöhnlichen Kirchen-Gebeths vor ihre Erb-Landes-Herren, denenselben ihre hohe Landes-Obrigkeit nehmen solte, wie gleichwohl nach dem Glückstädtischen Vorgeben folgen müste. Eben so wenig, als der Aebtißinn und Fürstin von Essen ihre Landes-Herrschaftliche Oberbothmässigkeit, die sie doch so gar auch in contradictorio durch ordentliche Sententz die 4. Febr. 1670. am Kayserlichen und des Reichs Cammer-Gericht erstritten, vid. Deckherr Sentent. Camer. duodecennal. period. num. 276. p. 103. dadurch, daß Ihrer im Kirchen-Gebeth auch noch biß in diese Stundte nicht gedacht wird, genommen werden, und als wenig Ihr. Chur-Fürstl. Durchl. von Brandenburg, auf welche, als der Stadt Schutz-Herrn, mehr besagtes Kirchen-Gebeth beständig mit gerichtet wird, dadurch einige Superiorität über solche Stadt zuwachsen kan. Eines mehrern, da in andern*

dern Fürstlichen Häusern, nebst der regierenden, nicht weniger auch vor die übrigen Linien, sothanes Kirchen-Gebeth mit zu geschehen pfleget, anietzo nicht zu gedencken, die deswegen iedoch vor dise Civilitat und gute Wünsche sich niemals die geringste Superioritats-Gedancken zu Sinne steigen lassen. Hæc omnia absque dubio vera sunt, nisi aliæ prægnantes accedant circumstantiæ, veluti, si in precibus publicis, ubi pro Principe quodam speciatim intercessiones fiunt, inseratur clausulá: *Unsern gnædigsten Landes-Fürsten*, quo ipso, nisi aliunde aliud liqueat, profitentur, se eum, pro quo intercessiones faciunt, agnoscere pro Domino Territorii. Hæc vero commonuisse hic sufficiat.

LXXIV.

Denique illustris Principum Apanagiatorum dignitas, ac insignis omnino distinctio, quæ eosdem saltem ab aliis subditis, in territorio habitantibus, discernit, insimul conspicitur ex Provisione, quam Statutis vel testamentis familiæ recipiunt, quæ semper talis constituitur, & principalem vitam degere, ac splendorem familiæ conservare queant. Personalis enim eorundem celsitudo requirit, ut provisionis, cujus amplior conceptus est, non ad nudam indigentiam, sed PRO RATIONE DIGNITATIS, quam Primogenitus solus cernit, sit habenda ratio, & pro ejus amplitudine, ex arbitrio boni viri vel Judicis, sit CONSTITUTA. Conf. *MYLER ad Rumelin. Part. 3. Diss. 5. §. XII. in Addit. p. 774.* Verba ibi sequentia: Quo Postgeniti ex familia Principali, Principis vitam degere, ac familiæ splendorem conservare queant; *damit sie sich ihrem Stand gemæß halten, und Ihre Fürstliche Reputation manuteniren mögen.* Quantum itaque pensionis annuæ nomine, liberis postea natis præberi debeat a Primogenito, plerumque pactis familiarum gentilitiis, aut ipsa etiam observantia, idque diversimode, (vid. *SPRENGER Lucern. c. 2. p. 174. sqq.*) hodie definiri solet, quod & tempore Aureæ Bullæ, ne quidem in Electoralibus familiis determinatum erat, uti constat ex *A. B. c. 25. §. 2.* Qua tamen etiam id dispositum legitur, ut in præstandis fratribus postgenitis pensionibus, æquum se præ-

Apanagiatorum dignitas etiam ex Provisione, quam Statutis vel testamentis familiæ recipiunt, conspicitur.

beat Primogenitus. Nempe *Tit. XXV. §. V.* ibi: „Qui tamen „apud alios Fratres & sorores se clementem & pium exhibebit, continuo juxta datam sibi a DEO gratiam, & juxta suum „beneplacitum & ipsius patrimonii facultates, divisione, scissione, seu dimembratione Principatus & pertinentiarum ejus, „sibi modis omnibus interdicta.„ Omnino annotandum hic est, quod *Jo. PETR. DE LUDEWIG* in Commentario ad A. B. *Tom. II.* ad hunc §. egregie solideque de Paragiis & Apanagiis disserat, variasque eo collineantes quæstiones erudite satis explicet atque extricet. Ac paucis ea, quæ ibidem prolixe profert, hic repetere placet. Nempe, pag. 525. libellos, de Apanagii & Paragii differentiis, eristicos recenset, ac de iis *NIC. BETSII*, *GEORG. HEINR. SPRINGSFELDII*, *JOANN. SCHILTERI*, *JOAN. NIC. HERTII*, *CHRIST. THOMASII*, judicia exponit. Ast, quanquam, uti vel ex istis, quæ p. 527. 528. disserit, intelligitur, ipsi distinctio inter Apanagium proprium ac improprium magis arrideat, quam illa inter Paragium & Apanagium, tamen nullas in medium profert rationes, quibus sententiam suam corroboraverit. p. 528. de *apanagiis Principum sororum* quædam tradit. *p. 529.* sequentem eruit quæstionem: *Num dos & Apanagia Princeps debeat, an Ordines Provinciales.* Ac non incongrue censet, quod, quanquam Principi Regenti incumbat, dotem & apanagia fratribus atque sorori præstare: attamen, cum hodie Apanagiati titulis insignibusque Domus utantur, adeoque vitam Principalem degere debeant [ibi: *dieweil heut zu Tage die Fürstliche Kinder insgesammt dem Fürsten-Stand gemäß leben wollen, nachgehends auch dem Lande selbst nicht wenig dran gelegen, daß man von solcher weise nicht abweiche, und dadurch das Fürstl. Hauß in Verachtung setze.* &c. &c.] Ordines Provinciales utique teneantur, Principi Regenti tali in casu succurrere, in primis, cum omnia ejusmodi onera solus ferre haud possit. In quem finem citat *FRITSCHIUM von der Fräuleins-Steuer*, *KLOCKIUM de contrib. c. 8.* *ROSENTHALIUM de Feud. Cap. V. Concl. 77. p. 530.* causam, quare compilator *Aur. Bull.* Principi

cipi Regenti clementiam, in consanguineos exercendam, tam sollicite commendet, indicat. Inquirit & ibidem, a quo tempore potissimum apanagia post mortem Parentum fratribus sint præstanda? ac ab eo tempore eadem Principem Regentem debere, quando Apanagiati propriis sumtibus vitam degere haud queant, nisi pacta obstent, existimat. Num vero dissentientium rationes prævaleant, disquirere jam minus libet. *p. 531.* sequentem proponit quæstionem: *An Judicis auctoritate cogi possit Primogenitus ad præstanda apanagia?* & affirmando eam decidit. Etenim quanquam in A. B. nihil hoc de casu expresse dispositum legatur; tamen, cum A. B. verbis admonitivis magis quam imperativis uti maluerit, apanagiatis vero nihilo secius apanagia simpliciter debeantur, extra dubitationem positum esse existimat, Principem Primogenitum hoc in casu conveniri posse. Sed novum inde enascitur erotema, quod *p. 532.* explicat, scilicet: *Quis in S. R. I. Judex sit litigiosi apanagii.* Opinatur vero, controversias tales vel in Comitiis, vel ab ipso Cæsare, præsentibus Electoribus aliisque Imperii Statibus, esse dirimendas. Cameræ Imperiali vero jurisdictionem eo in casu adscribunt BARTHIUS, KLOCKIUS, GOTHMANNUS, GYLMANNUS, BLUMIUS, aliique. E contrario Senatum Imperii Aulici pronuntiare in iis casibus posse, testantur SPRINGSFELDIUS, & RHETUS *de port. alimentaria.* Nos, definitum aliquid hac in parte esse, minus novimus. *p. 533.* quæstionem movet hanc: *Quænam Apanagii debeat esse quantitas?* Varia vero tam pro augmento apanagii, quam moderatione ejusdem, profert argumenta. Tandem regulas quasdam juris de quantitate apanagii addit, secundum quas apanagii quantitatem facile definiri posse autumat. *p. 536.* porro disquirit: *An Apanagiato extincto Apanagium redeat ad Principem Regentem.* Ac Apanagium ad Principem Regentem omnino redire, variis commotus rationibus, judicat. *p. 537.* scite quærit: *Num diviti debeatur Apanagium?* Varia ibidem exponit argumenta, quibus evincere annititur, Apanagiato tali nihil præstandum

dum esse. *p. 538.* iterum quærit: *Num liberis Apanagiati novum debeatur Apanagium?* Argumenta, quæ ibidem profert, satis declarant, Primogenitum ad præstanda liberis apanagiati nova apanagia, minime teneri. Denique *p. 545.* dispicit: *An Apanagiato vivere liceat extra territorium Primogeniti?* Rationes, tam pro affirmativa quam negativa sententia pugnantes prolixe recenset, &, quanquam negantium opinioni accedere videatur, tamen experientia satis superque testatur, Apanagiatos Principes utplurimum extra territorium Principis Regentis vitam degere, inprimis, cum multi munere militari defungantur; nec constat, Primogenitos ea de causa conquestos esse, vel adhuc conqueri. At hæc ex *LUDEWIGIO* hic annotasse, sufficiat.

LXXV.

Illud quoque adhuc observandum est, quod, cum non tantum in annua pensione, sed & in prædiis atque Provinciis, pro diversa familiarum illustrium consuetudine, ultragenitis liberis apanagium constituatur, quidam monere soleant, ne postgenitis fratribus tales urbes, castella atque propugnacula a primogenito concedantur, quæ vel locorum situ atque munimentis, vel incolarum copia, aut alia denique ratione facile ad res novandas iisdem occasionem præbere possint, & in universum libertatem, de apanagio disponendi limitibus quibusdam circumscribendam esse, judicant Prudentiæ Civilis Doctores, intentato amissionis periculo si contrafaciunt, sicut plures ejusmodi cautelas primogenito hanc in rem suggerit Celeberrimus olim *CHRISTOPHOR. FORSTNERUS in notis ad Tacit. XV. Annal. c. 2. p. 115. sqq.* qua de re prolixius disseruit *BETSIUS* in libello πολιτικωτάτῳ *de Pact. Famil. Illustr. c. 8. p. 334. sqq.* Ex quibus hæc etiam enascitur quæstio: *Utrum Apanagiato in Apanagiali prædio jus muniendi competat?* Nos, circumspectis atque consideratis omnibus rationibus, negativam sententiam non nisi arripere possumus. Ac sequentia pro ea faciunt momenta. 1.) In dubium minime vocandum est, Apanagiatos, ratione prædii Apanagii jure

An Apanagiato jus muniendi in prædio apanagiali competat quæritur?


jure cessi, Principi Regenti seu Primogenito esse subjectos. Jam vero evictum est, Landsassiis & subditis sine consensu Domini Territorialis, tale jus non competere. Conf. *Ertelii Schaubühne von dem Fürsten-Recht; 91. Ubung, p. 364. seqq.* Unde aliquando in Saxoniæ Electoratu Nobilis quidam, qui arcem suam, *Rittersitz*, fossa & vallo, aliisque munimentorum generibus, inscio Electore, circumdederat, ad gravem mulctam fuit condemnatus. 2.) Jus muniendi & fortalitia exstruendi partem Superioritatis Territorialis omnino constituere, nemo erit, qui ambiget. R. I. de A. 1654. §. 180. Conf. *Titius lib. III. Jur. Publ. cap. 1. §. 59.* Cum vero Apanagiati Superioritate Territoriali minime gaudeant, apertum est, eisdem jus muniendi in prædiis apanagialibus sine consensu Principis Regentis neutiquam competere. Quo quidem in casu pariter, ac quoad plura alia jura, ad Territorialem potestatem spectantia, Nobiles Imperii immediati pinguioris existunt conditionis, quibus omnino jus tale muniendi, nisi aliæ pactiones seu nexus, quibus vicinis Principibus obstricti, passim obstent, adseritur, sicubi tuendi causa id fiat. Legibus enim Imperii id saltem fuit cautum, ne amplius habeantur arces deprædatoriæ, *Raub-Schlösser*, post conditam Pacem Publicam, ac sublatis diffidationibus maximam partem destructæ. De privilegio hic Brandenburgico, vi cujus a Cæsare facultatem habent, castella ac urbes prædonibus quibusque, sive Nobiles illi sint, sive etiam Principes, per universam Germaniam eripiendi, sibique vindicandi, vid. *Jo. Petr. de Ludewig* in *Germ. Princ. L. II. c. 4. §. 37.*

LXXVI.

Cum itaque hactenus variis rerum momentis ac prægnantibus rationibus, nec minus probatissimorum Scriptorum testimoniis, satis superque comprobatum fuerit, Principes Comitesve Apanagiatos, quanquam in causis feudalibus forum Primogeniti frustra declinent, tamen privilegiis cæte- *Conclusio.*

risque Constitutionibus Imperii, uti, frui, adeoque juribus immediate Imperio subjectorum omnino gaudere, nec in causis personalibus alius, quam supremæ Cæsaris jurisdictioni regulariter subjici: Nihil jam restat, quam ut omnibus & singulis hic serio declarem, me per hæc qualiacunque, quæ consignata sunt, eminenti Principum Regentium Superioritati Territoriali, qua, nec ipsis diffitentibus Apanagiatis, insigniter prorsus coruscant, quippe qui ratione feudi, tanquam Vasalli & reales subditi, eandem merito reverentur ac suspiciunt, quicquam detrahere nec voluisse nec potuisse; quin potius eadem Principibus Primogenitis expressis verbis, data occasione, vindicata legatur. Non enim id mentem irrepsit unquam cogitationis, ut Celsissimorum Imperii Optimatum juribus atque prærogativis levi tenuique hocce opusculo derogare voluerimus, quippe quæ potius omni tempore ac loco devotissima atque demississima mente merito veneramur.

SALVO OMNIUM JURE AC JUDICIO.



DISCUS-

DISCUSSIO
QUÆSTIONUM
ADFINIUM:

I. AN ILLUSTRIS VIDUA IN DOTALITIO DOMINO TERRITORII SIT SUBIECTA?

II. UTRUM APANAGIATUS JURIS SENIORATUS SIT CAPAX?



QUÆST. I.

§. I.



PLures quidem de jure Dotalitii, Fœminis Illustribus constituti, vel constituendi, prolixos satis Commentarios conscripsere. Ast hæc nostra quæstio tamen prætermissa est, quod factum magis is miretur, cui utilitas ejusdem non incognita. Sane, quemadmodum sæpius Principes Imperii Regentes cum Fratribus & Agnatis, Apanagio quos contentos esse debere, lex Primogenituræ jussit, graviter contendunt, quum ii Superioritatem defendant, hi autem Apanagii qualitatem ultra justos limites proferre velint; ita etiam non raro de jure Viduarum Illustrium in Dotalitium in Judiciis Imperii disceptatur, cum ista Superioritatis subinde cujusdam, præter simplicem jurisdictionem, adfectent speciem, nec quoad *personam* subjectas esse arbitrentur; contra, Principes ad territorii jus, ejusque universalem naturam provocent, ac in Dotalitio varia sibi jura adferant, a Viduis denegata.

Quæstio ... Commentariis de jure Dotalitii conscriptis, prætermissa est.

§. II.

Profitemur autem, principio rem a nobis considerari jam simpliciter, nec habita pactionum ratione, quæ regulam passim attemperent. Nam, si quid ejusmodi conventionis adsit, nemo ambiget, quin istud præferendum sit omnibus aliis Juris Publici argumentis. Quod etiam de Apanagio jam supra commonuimus, cujus, pro testamentorum aut pactionum diversitate, diversa reperiuntur genera. Illis autem deficientibus, norma omnino exquirenda est, quæ rem probe definiat.

Res simpliciter consideratur, non habita pactionum ratione.

§. III.

Viduæ Illustri in Dotalitio Superioritatem quandam minus posse asseri, satis moribus hodiernis habetur compertum; cum iisdem minus integra territoria, sed prædia tantum ali-

Viduæ illustri in Dotalitio non competit Superioritas Territorialis.

qua ſeu Præfecturæ, *Aembter*, ſoleant adſignari. Olim quidem Viduis Illuſtribus largius fuit proſpectum, quemadmodum in Domo Aſcania contigit, ubi Ottonis Principis Vidua, Eliſabetha, Comitatum Imperii *feudalem* Aſcanienſem circa A. 1318. ſqq. jure Dotalitii rexit; vid. *SAGITTARIUS Hiſt. Halberſtad.* §. *64.* Sic contigit Eliſabethæ Gœrlitziæ, Caroli IV. ex Joanne filio nepti, quæ primum Antonio, Brabantiæ Duci, deinde Joanni, Comiti Palatino ad Rhenum, Bavariæ Duci, Hollandiæ comiti nato, nupta fuit cum dote 100. millium Flor. vel aureorum Bremenſium, pro cujus aſſecuratione marito ejus Ducatus Lutzelburgenſis a Wenceslao Imperatore oppignoratus fuit. Verum illa, utroque matrimonio ſterilis, & longa viduitate, graviſſimis bellis, ac ſubditorum rebellione, eo paupertatis redacta fuit, ut Ducatum Lutzelburgenſem Burgundiæ Duci, Philippo, concedere neceſſe habuerit. Anno enim Chriſtianæ Epoches 1443. contumacia diſſidiisque ſuorum, quibus Saxoniæ Dux, Guilielmus, eum Ducatum ~~ſibi vindicans, ſubſidium miſerat~~, agitata, Philippi Burgundi opem imploravit, eumque Mamburnum & gubernatorem, uti & antea Wenceslaus Ludovicus Aurelianenſem, amitinum ſuum, ejus Ducatus conſtituit, pacta ſibi quotannis certa pecunia annua 10000. librar. ut *OLIVERIUS*, vel quinque millium coronatorum, ut *MEYERUS* ſcribit, in alimenta. Philippus vero eodem anno Ducatum ſubegit, ac deinceps ditionem tenuit ſub præfectis, Cornelio filio ſuo notho, & Guilielmo Sanſovieno, & ab illo tempore ejus dominium ſemper ac continua ſerie apud Burgundicam Domum ejusque Succeſſores remanſit. Verum Eliſabetha, circa extremum vitæ ſuæ tempus, adeo miſeram vitam & ærumnoſam ducere coacta fuit, ut in urbe Trevirorum, nulla Ducali pompa aut ſplendore, ſed privatæ ſimilis, & ob æs alienum ab Eccleſiaſtica communione abdicata, fideque publica ejus civitatis Senatus, donec viveret, usque ad annum Chr. 1450. adverſus creditorum vexationes tuta, in ſilentio & ſqualore degeret, & ſemeſtri ſpatio poſt mortem, quod pactis nominatim cautum

erat,

erat, inhumatum corpus ibidem ſecure permaneret; triſti quidem & miſerando fœminini imperii exemplo. Alia exempla, quæ paſſim alibi occurrunt, recenſere nil attinet. Nihilominus Seculum recentius pridem ab iſta liberalitatis forma receſſit, ſic ut nimis amplæ ditiones viduis haud concedantur, neque regulariter quidpiam, præter jurisdictionis venandi, & minora alia jura, ipſis adſcribatur. In dubio tamen omnis jurisdictio etiam ſuperior conceſſa intelligitur, puta, ſi vel ante fundo, in dotalitium dato, adhæſerit, vel ex pactis dotalibus id apte conjiciatur. Sane fœminæ præſertim illuſtres jurisdictionem quamcunque exercere valent, utputa, quæ aliquando nec ab exercitio ſuperioritatis arcentur, ſi v. c. in Feudum Imperii fœmineum ſuccedant, vel tutrices liberorum exiſtant. Igitur puto, jurisdictionem, terræ ejuſmodi adnexam, ſimul translatam cenſeri, niſi fuerit reſervata. Interim ſi neque adhæreat, nec diſerte fuerit indulta, vix urgebit criminalem vidua, quæ ſæpius majora incommoda quam utilitates parit. Hactenus itaque Dotalitium ab Apanagio longe diſtat. Apanagiatos enim majora ſubin jura promereri, quam Viduas, ſi rem ſecundum rationem & uſum Juris Publici ordinarii exigere velis, ſupra multis animadverſum fuit. Quemadmodum etiam Dotalitium, licet uſumfructum Juris Teutonici, qui proprietati proxime accedit, & ab uſufructu Romanarum legum maxime remotus deprehenditur, uti egregie demonſtrat *SCHILTERUS Exerc. XVII. Th. III.* complectatur, morte tamen exſpirat, quum contra Apanagium ad heredes omnino tranſeat.

§. IV.

Quæ jura Viduæ in Dotalitio præſertim vindicari poſſunt, ſunt quidem jura regalia minora, quæ, puto, vix viduæ illuſtri denegari poſſe, uti praxis Germaniæ paſſim oſtendit. Primario tamen ad pacta dotalia reſpici debet, quibus omnia curate ſolent exprimi, nequicquam Jus Romanum, unde omnia ſua fere depromit *MYLLERUS* in *Gamalog. C. XI.* Plane is egregie fallitur, quum uxorem in Dotalitio meram uſu-

Viduæ jura regalia minora in Dotalitio competunt.

ususfructuariam contendit, cum tamen scire debuisset, usumfructum Juris Teutonici & Romani probe esse distinguendum. Equidem ex *Spec. Saxon. L. II. art. 21. §. 3. & Suev. C. 169.* diserte constat, eodem jure viduam certa ratione in dotalitio gaudere, quo Vasallus in feudo. Feudum autem a simplici usufructu miris modis distat. Add. *Gloss. ad Spec. Sax. L. III. art. 77.* it. *Jus Alem. C. 49. §. 4.* Si igitur hæc, quoad privatos obtineant, multo magis illustribus major libertas adscribenda erit, quam MYLLERUS & alii ipsis adsignant. Et parum sustinerent hæ dignitatem, si reditus tantum privati accrescerent. Nec desunt exempla, ubi quondam integra territoria & Comitatus in Dotalitium fuere concessi, uti §. præced. annotavimus.

§. V.

Viduæ Domino Territoriali, ratione Personæ, non sunt subjectæ.

Quæcunque autem jura Viduis illustribus in Dotalitio adserantur, & quanquam illæ Superioritatem Domini Territorialis revereantur, nihilominus, re curatius perspecta, arbitramur, subjectionem quandam Viduarum *personalem* minus posse evinci. Nam de reali, quæ ad ipsummet prædium, in Dotalitium concessum, pertinet, jam haud quæritur, cum hic Vidua Illustris jurisdictionem Domini Territorialis supremam vix possit declinare. Primaria autem causa, ob quam Viduæ *personam* Principi Regenti subjici negemus, huc videtur redire, quod Princeps fœmina, quam mors a jurisdictione, vel potestate maritali, quæ usu Juris Publici invaluit, liberam effecit, nunc sui juris reddatur, ad immediatam, si ea ante matrimonium polluit, conditionem *regressura*. Sic & Apanagiatos, patria potestate dissoluta, liberius nunc agere posse, intelligitur, nec ex lege primogenituræ, vel expressa vel tacita, Fratri Primogenito statim subjici apparet, cum Superioritas Ejusdem Territorialis ad jurisdictionem in *personam* Eorundem exercendam regulariter proferri nequeat. De quo quidem argumento satis pro instituti ratione fuit commemoratum. Atque in hac parte, quoad Viduam, maxima apparet dispa-

disparitas. Illa enim ad familiam Primogeniti & Domini regionis nequicquam spectat, quum respectus gentis extraneæ, unde oriunda, defuncto Principe marito, veluti reviviscat, quippe qui ejusmodi subjectionem personalem merito respuit.

§. VI.

Absonum est, adstruere, matrem viduam filio Regenti in personalibus subjici.

Quilibet itidem facili negotio dijudicare poterit, quam asperum foret, adserere, matrem viduam, a filii, regimini post mortem Parentis admoti, jurisdictione in *personalibus* haud esse exemtam. Mores sane Germanorum, qui populus juris naturalis & Gentium regulas enixe semper fuit amplexus, hoc casu juste videntur matribus & Viduis illustribus prospexisse, sicut Principes quoque Regentes venerationem, quæ filios decet, exuere haud debeant. Quod facile contingeret, si persona matris subdita haberetur. Sic, cum e norma juris privati frater in fratrem haud sibi possit vindicare imperium aut jurisdictionem, immo ex ratione juris publici ac gentium non liqueat, quod illud Primogenito peculiarem indulserit facultatem, facile liquet, fratrem apanagiatum, quoad *personam*, Principi Regenti neutiquam subjici. Regula enim: *Par in parem non sortitur imperium*, non facile tollitur aliqua juris, vel alius facti civilis & legitimi forma. De qua quidem re supra fuse disseruimus. Quomodo autem tollis nexum, qui matrem & filium concernit, vel subjectionem personalem concilias rei, quam ipsamet natura progenuit, diversitate nimis ampla constituta, a potestatis cujusdam civilis & jurisdictionis viribus, alioquin late protensis, minus impugnanda?

§. VII.

Consuetudo, quæ hac in parte in Regnis supremis obtinet, ad Germaniam non quadrat.

Licet autem in regnis supremis matres illustres, & Viduæ filiorum atque Regum jurisdictionem sat aliquando fuerint expertæ, neque a reliquorum subditorum grege tantisper fuerint distinctæ, illa tamen ad Germaniam haud quadrant, ubi libertatis major habetur ratio ac cura, sic, ut immedietatem personæ illustres, ex usu juris Publici, merito sibi adscri-

bant, nisi pacta vel indoles Superioritatis Territorii obstent. In Imperio Germanico, quod nullibi alias reperias, duo jurisdictionum eminentiorum genera conspiciuntur. Adest enim *jurisdictio Cæsarea*, antiqua omnino & insignis. Adest quoque *jurisdictio Territorialis*, quæ a Cæsarea manavit, quum Cæsar jus suum cum Statibus passim communicarit, ac huic quodammodo *subordinata* habeatur. Nunc nemo negaverit, personas illustres in dubio magis censendas esse, eas nancisci forum eminentius, & vetustius, quam subordinatum. Neque diffitemur, mutationem omnem in facto consistere, sic, ut probatione indigeat. Jam de Viduis Illustribus nullibi apparet, ipsarum personas unquam Dominis Territorii fuisse subjectas, quum ea mens non fuerit matrimonium ineuntuim, ut matrimonio quoque soluto, adhuc subditæ permanerent. Quæ & omnia ad Apanagiatos pertinent, quos nec propriæ eorundem confessiones, ac factæ passim in pactis familiarum exemtiones subditos esse Dominorum Regentium evincunt, nisi in Primogenituræ Tabulis de ejusmodi subjectione expresse pactum fuerit. Ac tacita hæc veluti lex inesse putatur, quæ exemtionem hujusmodi progignat, ac Apanagiatos ab jurisdictione Principum Regentium, in personas Eorundem exercenda, liberet. Denique nemo facile negarit, immedietatem quandam Apanagiatis esse connatam, *daß Sie unmittelbar gebohren*, hæc vero nativitatis ratio per domicilium Apanagiati, in territorio Primogeniti constitutum, ut & bona in eodem sita, tolli ac suspendi nequit.

§. VIII.

Viduæ jura, in Dotalitio parta, salva sunt relinquenda.

Quum igitur nulla differentia Viduam inter illustrem & Apanagiatos, intuitu subjectionis personalis, appareat, id quoque monendum adhuc est, Superioritatem, quæ Principi in Dotalitium parta est, ita non esse producendam, ut jura Viduæ lædantur, vel novi quid suscipiatur, quod contentionibus ansam præbere queat. Sic quæritur, utrum Dominus Territorii sigilla sua, vel arma, *Fürstliches Wappen*, prædio, in Dota-

Dotalitium concesso, invita vidua affigere queat? Equidem nemo ignorat, jus affigendi arma ad Superioritatem posse referri. Ast observandum est & illud, regulariter ne quidem exerceri in prædiis Vasallorum, qui ista una cum jurisdictione possident. Enimvero, jus affigendi arma cum ideo usurpari soleat, ut dominium rei vel jurisdictio designetur, ac rerum proprietates commodius dignoscantur, ac possessores privatis quoque juribus accensentur passim, teste observantia, multæ quoque reperiuntur Nobilium Landsassiorum arces, in quibus arma, *Adeliche Wappen*, publice prostant, variis modis inserta. Nec minus, cum Princeps cuidam prædium cum jurisdictione concedit, simul quoque facultatem indulsisse censetur, affixione armorum jus suum omnibus innuendi. Cum autem Princeps Vasallum in jurisdictionis aliorumque jurium exercitio turbare nequeat, neque poterit, dejectis Vasalli armis, sua in locum istorum sufficere, cum ista Domanium potius exstare, quam prædium vasalliticum, res vulgo crederetur. Nam Domania a prædiis Vasallorum & subditorum appensio ejusmodi, vel affixio armorum probe distinguit. Immo, forsan aliquis non incongrue putarit, ne quidem, si prædio nulla prorsus arma adfixa ante fuerint, Principem, absque causa, sua adfigere posse. Nam Superioritas aliis longe modis potest designari. Alia ratio foret, si quis Superioritatem exerceret in prædium, in alieno territorio situm, ubi ejusmodi modi tuendæ possessionis, & defendendi juris, merito adhibentur. Jam, si id locum obtineat quoad subditos & Vasallos, multo magis accommodari debet ad Viduas illustres, in Dotalitio minus subjectas, quæ ejusmodi affixioni merito renituntur; etiamsi Princeps litteras Reversales offerat, ad quas accipiendas illæ cogi nequeunt. Fac autem, Principem eam affixionis allegare causam, quod verendum sit, ut tertius aliquis, v. c. Apanagiatus, post mortem Viduæ, Dotalitium, contra conventiones Domus, occupet, & possessionem sibimet adferat, quapropter consultum, adfixione armorum possessionem eventualem acquirere, & jus suum tueri,

ſalvo cæteroqui Viduæ Illuſtris jure. An ea ſuffecerit, vix autumo. Nam Dominus Territorii alia ratione apanagiatum arcere poterit, ac legitime ſibi proſpicere. Ac, ſuffecerit, ſi Judex ſupremus ea omnia illegitima pronuntiet, quæ Apanagiatus contra pacta familiæ ſit concepturus. Ejuſmodi ſane facta Dominorum Territorialium cum contentiones ſubinde acres parere ſoleant, commodius quoque omittuntur, quemadmodum ante aliquot annos Senatus Imp. Aulicus cenſuit in cauſſa *A.C. contra* C. Et nonne progreſſu temporis evenire poſſit, ut dominus territorii deinde, hac juris ſpecie prætenſa, jus Viduæ in Dotalitio imminuat? Quemadmodum quoque Vaſallis, quorum prædiis arma Principis adnexa fuere, facilius dein à Succeſſoribus lites graves moveri poſſint. Hæc vero ſufficiant. Reliqua, quæ forſan ad materiam præſentem ſpectant, Lectorum noſtrorum propriæ induſtriæ atque exacto judicio relinquimus. Potius, quid de altera quæſtione, ſupra expoſita, ſentiamus, breviſſimis declarare licebit.

QUÆST. II.
AN APANAGIATUS JURIS SENIORATUS SIT CAPAX?

(I.)

Senioratus multa egregia jura complectitur.

Quanquam de Senioratu plures inſignium Jureconſultorum commentationes cum erudito orbe communicatæ fuerint, e quibus incomparabilis Goldaſti ſcriptum reliquis facile palmam dubiam facit; tamen, quum de hac in primis quæſtione nullus fere, quod novimus, juris publici ſcriptor commentatus fuerit, non inconſultum erit, de ea quid ſentiamus, breviſſimis hic exponere. Complectitur vero Senioratus plura egregia jura, inque his directionem negotiorum Imperii ac Circuli Directorii, *in Reichs- und Creyß Sachen*. Sic Senior Familiæ ſuffragium in Comitiis communi nomine Domus fert, inveſtituram accipit, officium

cium Circulare gerit, si Domui sit quæsitum, cæteros ad collectas & subsidia Imperio præbenda, compellit, ac alia negotia, universam familiam concernentia, procurat. Hinc plerumque utitur certis Consiliariis, ad negotia Senioratus tractanda constitutis, *Senioats-Rathen.* Poteris vero officia, quæ Seniori incumbunt, cum Auctore *der Acten-mässigen kurtzen Deduction, daß im Fürstl. Hauß Anhalt ein Apanagirter Printz zum Seniorat und deme anklebenden Ober-Directorio, unberechtiget und nicht fähig seye A. MDCCXXI.* omnino ita recte delineare. 1.) *Liegt dem Seniori ob, das gesammte Fürstl. Hauß zu repræsentiren.* 2) *dessen Etats-Affairen zu verwalten.* 3.) *die Consultationes darüber zu præpariren.* 4.) *deliberando zu projectiren.* 5.) *bey denen persönlich oder durch deputirte Räthe haltenden Conferenzien zu proponiren.* 6.) *die dissentirende Vota zu conciliiren, zu concludiren, mithin den gantzen Congreß zu dirigiren, das Resultat zu exequiren, und daß darüber in allen Hoch-Fürstlichen Antheilen gehalten werde, Sorge zu tragen.* 7.) *Es muß derselbe die Reichs-Lehen bey Kayserl. Majest. wie auch andere, dem Hochfürstl. Hauße anklebende Lehen, als Lehentrager des gesammten Fürstl. Hausses, mittels der andern Regierenden Herren Vollmachten, empfangen, und die Original Lehen Brieffe nach circulirter Communication, wie auch alle und iede Original-Documenta derer* Regierenden *Herren gesammten Archivario zur Verwahrung einliefern.* 8.) *die ausländische Lehen denen Forensibus ertheilen.* 9.) *alle an die sämmtlichen Regenten im Fürstl. Hauß kommende Schreiben anzunehmen, zu communiciren, conform denen Majoribus zu beantworten, und die Antwort communiciren.* 10.) *Die Beschickung derer Reichs-Creyß-und Müntz-Probations-Täge besorgen, die Abgesandte instruiren, und deren Relationes ebenfals communiciren.* 11.) *denen Processen des Fürstl Hausses prospiciren, und die darzu nöthige Correspondentz unterhalten.* 12.) *die Land-und Land Rechnungs-Täge ausschreiben, zur Ersetzung derer Vacantzien die tüchtigsten erwählen, confirmiren, auch den Land-Syndicum und*

Land-Rentmeister bestellen, und die Execution der Land-Tags-Schlüsse, Landes-Verfassung und Recesse vollziehen. 13.) *das Ober-Directorium bey der Land-Renthey haben.* 14.) *das gesammte Archiv conserviren.* 15) *das gesammte Gymnasium durch jährliche Inspection besorgen, und* 16.) *in Summa, alles und iedes thun und verrichten, was zu des gantzen Hochfürstl. Haußes Flor, Splendeur, und Aufnehmen irgends gereichen kan.* Quæ omnia ex pactionibus Domuum Illustrium melius dignoscuntur, utpote quæ in primis normam definientem constituunt. Et hactenus Primogeniti & Senioris jura fere non distant, cum Primogenito quoque directio publicorum ejusmodi negotiorum soleat relinqui. Attamen, si accurate loqui cupiamus, Senioratum a Primogenitura omnino distinguendum esse, facile liquet. Nam uti Primogenitus dicitur, qui inter liberos unius lineæ primus in lucem editus est, ut ut forte ex alia linea seniores & ætate majores liberi extiterint, ita ex adverso Senior sive major audit, qui in tota aliqua familia reliquos omnes antecedit, & quemadmodum illic in primogenitis ipsa primogenitura fundamentum est, indeque non male vulgo Dd. pronuntiant, eundem & seniorem, & proximiorem, & primogenitum heic esse, ita in majoratu prærogativa ætatis fundamentum est, & is ad successionem etiam ex geniculo remotiori vocatur, qui in familia post mortem possessoris major natu reperitur, sicut hæc passim explicant *BESOLDUS lib. 1. de Success. Diss. 4. num. 13. SPRINGSFELDIUS de Apanag. c. 5. n. 8. sqq.* & complures alii. Illud tamen haud temere negari nequit, majoratus & Primogenituræ, sicut & Senioris & Primogeniti nomina, in laxiori paululum significatu promiscue vulgo usurpari, vid. *GOLDASTUS Lib. II. de Seniorat. c. 5.* aut certe exiguam differentiam inter illa, ex receptis Germaniæ moribus, esse, vid. D. *MAURIT. P. II. Cons. Kilon. I. num. 3. sqq.* unde & jus majoratus, speciatim ita dictum, Hispanorum proprium, nec apud alias nationes reperiri, uterque *MOLINA* censuit apud eundem *MAURIT. d. l. num. 5. junct. num. 21. sqq.* Id præterea ex antea addu-

adductis apparet, Seniorem & Directorem tantummodo instrumentum quoddam, seu personam quandam instrumentalem, aut si mavis, organum aliquod minime esse; uti tamen quidam P. A. quondam sibi persuasum habuit, qui nempe existimavit, nullam hic constituendam esse differentiam, an Princeps Regens, vel Apanagiatus, Senioris officio defungatur?

(II.)

Ceterum in Domo Brunsvicensi quondam Senioratus jus accurate fuit observatum; Quamvis enim ibidem jus Primogenituræ & individuitatis, contra Diplomatis Ereſt. Ducat. verba & mentem, ibi: *Civitatem Brunsvic. & castrum Luneborch, cum pertinentiis, NB. UNIVIMUS,* non tunc temporis effloruerit; tamen id pactionibus fuit domesticis cautum, ut tot Principes, varias portiones amplissimi Ducatus regentes, Seniori Familiæ universæ certa ratione subessent. Ille enim cæterorum nomine clientelare Cæsari ac Imperio præstitit sacramentum; verba: *Noch heut zu tages als ein vereintes Fürstenthum, welches von dem ältesten* NB. *Hertzogen aller NB. Linien wegen, zu Leben empfangen wird.* &c. &c. Deinde iste Domus Brunsvicensis Senior Imperii ac circuli negotia solus, nomine reliquorum, *jure veluti Commissionis*, expediit, licet omnino Guelpherbytanæ & aliarum Linearum Duces, liberrimo jure Territoria sua rexerint, ac peculiari suffragio Territorio innexo, & exin nomen sortito, fuerint instructi. Immo ordine quoque cæteris omnibus prælatus semper fuit, & non raro Seniores in ipsa quoque successione præcipui quid sibi adrogarunt, sic, ut *jus optionis* sibi deberi contenderint, uti ostendunt exempla divisionum inter Christianum Ludovicum & Georgium Guilielmum, Georgii Ducis filios, & iterum inter istum & Joannem Fridericum celebratarum. Conf. *Kurtzen Bericht von Hertzog Georg Willhelms Options-Recht. 410.* Atque nemo non ignorat, quam graviter idem Georgius Guilielmus, Lineæ Cellensis ultimus, jus Senioratus, etiam contra Lineam Seniorem Guelpherbytanam,

fuerit

fuerit tuitus, & negotia Circuli inprimis curarit. Itaque, tum verissima Majoratus, a Primogenitura longe discreti, species sese exseruit in Serenissima illa Domo, sic, ut minus ad Lineam Primogenitam (quod in Domo Saxonica fieri solet) qualis omnino Guelpherbytana, cum Henricus, a quo originem ducit, Ernesti Ducis, qui A. 1546. mortuus est, filius ætate major esset, potius Seniorem ætate Principem, etiamsi hic e Linea juniore oriundus, fuerit respectum. Ceterum quæstionem: utrum juri Senioratus per dignitatis Electoralis acquisitionem fuerit derogatum, ita, ut Linea Electoralis Guelpherbytanæ Jus Senioratus non amplius concedat, alii indagent, quæ etiam, an pactione fuerit definita, nobis quidem nondum liquet. Id interim commonebimus, tum Calenbergensi Duci, Ernesto Augusto, Electorali dignitate condecorato, frustra fuisse objectum, quod Majoratus majore unius Lineæ dignitate prosterneretur. Nam domestica de Senioratu pacta hunc casum non tangere, probe responsum fuit. Quemadmodum contra facile quis censuerit, per acquisitionem dignitatis Electoralis nequicquam voluisse Calenbergensem Ducem conventiones istas subvertere, vel jus Guelpherbytani Ducis quæsitum imminuere. Nam nihilominus Electorali Domui sua constat dignitas, quæ a Circulari Directorio, aliisque officiis ac negotiis longe distant, uti omnes norunt. Et licet ratione acceptionis Investituræ Imperialis, *Lehn-Empfängniß*, quicquam immutatum haberetur, tamen cæteri effectus consistere queunt. Sed hæc jam, integro cunctorum judicio, annotasse sufficiat.

(III.)

Paragiatus jure Senioratus gaudere potest.

Senioratus igitur jure paulisper declarato, nunc quæstionem propositam eruere, facillimi res erit negotii. Ubi iterum sciendum est, hic non quæri de Paragiato, sed de Apanagiato, qui immediatus jure existimatur. Nam paragiatum Juris Senioratus capacem, *ceteris paribus*, esse, non equidem omnino negaverim. Apanagiatum autem, utpote Statu immedietatis omnino præditum, egregiam sibi ejusmodi facultatem

